

LES

FRÈRES PRÊCHEURS

DE LIMOGES

LES

FRÈRES PRÊCHEURS

DE LIMOGES

TEXTES LATINS

Publiés pour la première fois

PAR

C. DOUAIS

Professeur aux Facultés libres de Toulouse



TOULOUSE

Paul EDOUARD-PRIVAT, Éditeur

45, RUE DES TOURNEURS, 45

1892

LES FRÈRES PRÊCHEURS DE LIMOGES

(1220-1693)

FUNDATIO ET PRIORES CONVENTUS LEMOVICENSIS, AUCTORE BERNARDO GUIDONIS. — MEMORIALIA PRO CONVENTU LEMOVICENSI. — FUNDATIONES MISSARUM.

La fondation du couvent des frères Prêcheurs de Limoges est liée à l'action apostolique de saint Dominique qui, en 1220, étant de retour d'Espagne, envoya le toulousain Pierre Cellan de Paris dans cette ville où il fut reçu avec empressement par l'évêque et par le chapitre.

Cette circonstance explique déjà le zèle des historiens de l'ordre des frères Prêcheurs, B. Gui (1), l'auteur de la *Chronique anonyme* publiée par Mamachi (2), Tægius (3), Malvenda (4), Mamachi (5), Quétif et Echard (6), etc. à parler de cette fondation.

Il y a une autre raison. Ce couvent fondé de si bonne heure fournit, au XIIIe siècle, une pléiade de religieux de tous points remarquables. Il suffit de rappeler les noms illustres de Gérard de Frachet, d'Etienne de Salanhac, de B. Gui. Mais loin de s'épuiser dans cet effort, il ne cessa, dans les siècles suivants, de donner à l'ordre des hommes distingués qui se recommandent à l'histoire soit par leur haute situation dans l'Eglise, soit par les œuvres de l'apostolat et les vertus les plus rares. On trouvera ici même la notice de chacun d'eux. Le couvent de Limoges vit donc, dès le milieu du XIIIe siècle, sa juste réputation s'étendre et s'établir dans tout l'ordre. Plus tard, elle ne fit que s'asseoir plus solidement encore. Gérard de Frachet commença donc, vers 1240, à écrire son histoire; il raconta sa fondation. Ce récit était apparemment le *Libellus de fundatione conventus Lemovicensis* dont

(1) *De tribus gradibus prælatorum in ordine Prædicatorum, ubi primo agitur de magistris* D. MARTÈNE, *Thesaurus*, IV, 402.

(2) *Annales ordinis Prædicatorum*. Appendix, col. 307, § IV.

(3) *Cronicon*. cité par QUÉTIF et ECHARD, *Script. ord. Præd.*, II, 35, et MAMACHI, *Annales*, Ad. an. 1219, p. 13.

(4) *Annales*, cité par QUÉTIF et ECHARD, *Script. ord. Præd.*, II, 155.

(5) *Annales ordinis Praedicatorum*.

(6) *Script. ord. Præd.*, I, 79.

parle B. Gui ; Etienne de Salanhac poursuivit cette œuvre utile ; et B. Gui la reprit. Dans la suite, le couvent se donna le soin de noter les faits les plus mémorables, de relever les noms les plus dignes de l'histoire, jusqu'au XVII[e] siècle, jusqu'à la Révolution. Trois œuvres aujourd'hui connues nous restent comme les témoins de ce zèle studieux et filial : 1° L'histoire du couvent par B. Gui, intitulée : *Fundatio et priores conventus Lemovicensis* ; 2° une chronique allant jusqu'à la Révolution et dont M. l'abbé Leclerc a sauvé les débris (1) ; 3° un long mémoire ayant pour titre : *Memorialia pro conventu Lemovicensi*. Ces *Memorialia* ou recueils de notices furent réunis et complétés en 1693. Je les ai trouvés aux Archives de la Haute-Garonne, en même temps que l'histoire abrégée des couvents d'Alais, de Béziers et de Castres, écrite à la même époque (2). La composition de ces histoires particulières à la fin du XVII[e] siècle est un fait digne d'attention, non pas uniquement, qu'on veuille bien le remarquer, pour l'intérêt propre qu'y trouve chacun de ces couvents, mais parce qu'elle témoigne d'une évolution de l'ordre vers les études historiques, que cependant il n'avait à aucune époque totalement délaissées. Sous l'impulsion de la grande école bénédictine française, les frères Prêcheurs, en effet, se mirent, à la fin du XVII[e] siècle, avec activité à étudier l'histoire, et d'abord leur propre histoire. Ici le moyen à prendre qui se présentait naturellement à l'esprit était celui-là même que les Bénédictins avaient adopté pour le *Monasticon benedictinum* : recueillir les faits locaux destinés à être les matériaux d'une histoire générale. Les frères Prêcheurs publièrent trois grands ouvrages qui sont des chefs-d'œuvre : *Scriptores ordinis Prædicatorum* par Quétif et Echard (3), *Bullarium ordinis FF. Prædicatorum* par Ripoll (4), *Annales ordinis Præ-*

(1) *Extraits de la Chronique des frères Prêcheurs de Limoges* (1200-1658), dans *Arch. hist. de la Marche et du Limousin*, t. II, 121-135.

(2) Les Archives de l'ordre des frères Prêcheurs, à Rome, possèdent les notices suivantes :
1. *De monosterio sororum Pontis Viridis* (1280-1307), Lib. KI., fol. 313.
2. *De monasterio Sancti Pardulphi* (1293-1303), *Ibid.*, fol. 314.
3. *De anno fundationis S. Romani Tholosani* (1216), Lib. Haa., fol. 178.
4. Histoire du couvent de Saint-Gaudens (1292-1706), Lib. S., fol. 175-188.
5. Histoire du couvent d'Albi (1210-1706), Lib. S., fol. 247-292.
Autre histoire du couvent d'Albi (1276-1313), Lib. S., fol. 465-490.
6. Mémoire pour le couvent de Béziers (1247), Lib. S., fol. 337-355.
7. Mémoire pour le couvent de Montauban (1251-1706), Lib. S., fol. 381-411.
8. Mémoire pour le couvent d'Alais (1240-1700), Lib. S., fol. 417-422.
9. Mémoire pour le couvent de Brive (1261-1568), Lib. S., fol. 422-458.
10. Mémoire pour le couvent de Clermont-Lodève (1317), Lib. Y., fol. 176-191 ; S., fol. 533.
11. Fondation du couvent de Canet, vicariat du précédent (1625), Lib. S., fol. 510.
12. Couvent de Rodez (1383), Lib. U., fol. 1-55, fol. 71-98.
13. Fondation du couvent des religieuses de Rodez (1660), Lib. U., fol. 56-57.
14. *Relatio de provincia Tholosana pro capitulo generali* (1580), Lib. III., fol. 9-136.
Item. Ms. Ven. P. Sebast. Michaelis, Lib. III, fol. 480.
15. *Historia reformationis Provinciae Tolosanae* (1590-1693), Lib. S., fol. 9-136.
16. *Varia de provinciis Tolosona et Occitana* (1647), Lib. Kl., fol. 213-237,
17. *Varia de conventu S. Severi* (1257), Lib. PP., fol. 532.
18. *Varia de conventu Aginnensi* (1240-1706), Lib. Y., fol. 102 ; Lib. S., fol. 327.
(Communication du R. P. Ligiez, archiviste de l'ordre).

(3) 2 vol. in-fol., Paris, 1719-1721.

(4) 8 vol. in-fol., Romæ, 1721-1740.

dicatorum, par MAMACHI (1). Je viens de prononcer le nom de Mamachi. On sait qu'une commission historique, composée de quatre membres, fut à sa demande établie au couvent de la Minerve. Il la présida. Elle entreprit à son compte d'écrire l'histoire générale de l'ordre élaborée par le P. Brémond, un des principaux promoteurs de ces études, et qui, élevé à la première charge de l'ordre, n'avait pu la poursuivre : histoire complexe et vaste, « *studium tam longum tamque difficile* », disait Mamachi (2) ; œuvre impossible à réaliser, si chaque couvent n'avait commencé par se faire connaître, par donner ses titres à l'attention de la commission. Les *Memorialia pro conventu Lemovicensi* offrent un type excellent de ces histoires particulières écrites ou recueillies dans le but indiqué et qui durent s'attacher aux personnes plus qu'aux choses (3). Ils méritent donc à bien des titres d'être remarqués et retenus. Faut-il ajouter que, par une fortune malheureuse, les archives du couvent des frères Prêcheurs de Limoges si anciennes, si renommées et si considérables, sont en majeure partie perdues ? Les Archives de la Haute-Vienne n'en ont sauvé que quelques débris absolument insuffisants, même pour ébaucher son histoire. C'est un nouveau motif de recueillir avec soin les textes qui permettent d'en retrouver le fil. Il m'a donc paru utile de réunir et de publier ensemble trois mémoires auxquels on n'hésitera pas à accorder la valeur de documents sinon directs, du moins solides : 1° *Fundatio et priores conventus Lemovicensis, auctore Bernardo Guidonis* ; 2° *Memorialia pro conventu Lemovicensi;* 3° *Fundationes missarum.* Le premier seul a été en partie publié par D. Martène ; les deux autres sont inédits. Les *Memorialia* se recommandent d'eux-mêmes. Ils contiennent quelques anciens textes et représentent la chronique du couvent tenue à jour. Le récent volume de M. Aug. Molinier : *Les obituaires français au moyen-âge* (4), a montré l'intérêt qui s'attache aux rôles des fondations de messes. Les *Memorialia* et les *Fundationes missarum* sont donnés ici chacun d'après le manuscrit unique connu. Pour le texte de B. Gui : *Fundatio et priores conventus Lemovicensis*, j'ai suivi le ms. 490 de Toulouse (1re édition) et le ms. 780 de Bordeaux (2e édition) (5). On trouvera des renseignements sur le couvent de Limoges que je n'ai pas ici utilisés, dans deux de mes publications auxquelles je me permets de renvoyer une fois pour toutes : *Essai sur l'organisation des études dans l'ordre des frères Prêcheurs au* XIIIe *et au* XIVe *siècles* (6), *Acta capitulorum provincialium ordinis fratrum Praedicatorum* (7).

(1) Tome I (seul paru). In-fol., Romæ, 1756.
(2) *Præfatio*, XIX.
(3) Le P. Reboul avait écrit une histoire du couvent de Saint-Maximin que M. l'abbé Albanés a utilisée dans son beau livre : *Le couvent royal de Saint-Maximin en Provence.* In 8°, Marseille, 1880. C'est de ce même mouvement vers les études historiques que sont sortis, par exemple, *De Romana provincia* par le P. FONTANA (1670), *Historia cœnobii Avenionensis* par le P. MAHUET (1678), *Monumenta conventus Tolosani*, par le P. PERCIN (1693), *Historia provinciæ hispaniæ,* par le P. MEDRANUS (1725).
(4) In-8°, Paris, Imprimerie Nationale, 1890.
(5) M. Léop. DELISLE, *Notice sur les manuscrits de Bernard Gui*, 320, 321.
(6) In-8°, Paris, Picard, 1884.
(7) In-8°, Toulouse, Privat (sous presse).

I

FUNDATIO ET PRIORES CONVENTUS LEMOVICENSIS

Auctore B. Guidonis.

(Bibl. de Toulouse ms. 490, fol 128, fol. 135. — Bibl. de Bordeaux, ms. 780, fol. 59, fol. 62)

I. — FUNDACIO CONVENTUS LEMOVICENSIS.

Anno Domini M°CC°XIX° (1), paulo ante quadragesimam (2), venit primo frater Petrus Cellani Tholosanus apud Lemovicas de Parisius cum sociis sibi datis, missus a beato Dominico (3), ut acciperet ibi domum ; fuitque paterne et benigne receptus a venerabili episcopo Lemovicensi domino Bernardo de Savena (4) et a capitulo eiusdem ecclesie sedis Lemovicensis. Paulo post dictus frater P. (5)

(1) N. st. 1220. Pour B. Gui, l'année commençait au 25 mars. Voy. le paragraphe suivant. Cf. Mamachi, *Annales ord. Præd.*, pp. 522-525.

(2) Dans les premiers jours de février probablement. Cette année Pâques tomba le 29 mars, et le mercredi des Cendres le 11 février.

(3) « Anno Domini M°CC°XIX°, beatus Dominicus de Hyspania venit Parisius et in domo Sancti Jacobi prefata conventum XXX fratrum invenit : et inde misit Lemovicas ad conventum accipiendum ibidem fratrem Petrum Cellani Tholosanum superius memoratum ». B. Gui, *Cathalogus Magistrorum ordinis Predicatorum.* Bibl. de la ville de Toulouse, ms. 490, fol. 54 B. — « Circa annum Domini M°CC°XIIII°, ingruente tempore quo ad Lateranense concilium Romam adire ceperunt episcopi, obtulerunt se sancto Dominico duo probi viri et ydonei de Tholosa. Quorum unus fuit frater P. Cellani, qui fuit postmodum primus prior Lemovicensis ; alter vero frater Thomas, vir admodum gratiosus et sermone facundus. Horum primus nobiles et insignes quas Tholose circa Castrum Narbonense domos possederat, obtulit et dedit sancto Dominico et eius sociis. A quo tempore ceperunt primum apud Tholosam in eisdem domibus commorari », B. Gui, *Ibid.*, fol. 53 A. Le premier couvent habité par saint Dominique est aujourd'hui le couvent de Marie-Réparatrice. Fr. Pierre Cellan fut un des premiers compagnons de saint Dominique (B. Gui, Bibl. de Toulouse, fol. 39 B) ; en 1226, l'évêque de Cahors l'appela pour fonder un couvent dans cette ville (B. Gui, *Fund. conv. Caturc. Ibid.*, fol. 141 A) ; il fut le premier inquisiteur (1233) et le quatrième prieur du couvent de Toulouse (B. Gui, *Fund. conv. Tol. Ibid.*, fol. 119 A.)

(4) Evêque de 1219 à 1226.

(5) Manque dans Martène.

rediit Parisius, et interim locus ydoneus pro fratribus querebatur et disponebatur. Hunc locum quesitum et inventum, scilicet extra villam ultra Vigennam fluvium, iuxta pontem qui dicitur Sancti Marcialis (1), emit pro fratribus et dedit patronus vir venerabilis dominus Guido de Clausello, archidiaconus in ecclesia memorata, postmodum vero episcopus in eadem (2).

Anno Domini M°CC°XX°, prefatus frater P. (3), adiunctis sibi sociis, rediit de Parisius Lemovicas, locumque prefatum paulo post Natale Domini acceptavit, in quo loco fundata fuit ecclesia in honore sancte Dei genitricis Marie, de voluntate et assensu prefati domini (4) Bernardi, episcopi Lemovicensis. Et prefatus dominus Guido patronus primarium lapidem posuit in eadem, presente clero et populo multo, in sequenti festo Anunciationis Dominice (5), incoante iam anno Domini M°CC°XXI°. Interim vero fratres manebant in domo Sancti Geraldi in una domo ad partem ; et in loco prefato ad habitandum edificia parabantur.

Anno Domini M°CC°XXI°, in festo Nativitatis Beate Marie perpetue Virginis mutaverunt se fratres de domo predicta Sancti Geraldi ad locum suum novum ultra pontem Sancti Marcialis, quem tunc primitus inhabitare ceperunt. In sequenti autem festo Epiphanie, constructo iam capite ecclesie, celebrata fuit missa sollempniter in eadem (6) a prefato domino archidyacono et patrono. In hoc autem primo loco manserunt fratres annis viginti nec plus nec minus amplius una die.

Postmodum namque propter multam ineptitudinem et inconvenienciam dicti loci, quia notabiliter ab utraque villa remotus et distans, et in scipso nimis arctus (7) erat, et ad sermones et ad alia salutis consilia populus confluere non (8) valeret, disposuerunt se fratres, Deo pro eis melius disponente, mutare ad locum secundum in quo nunc habitant. De cuius loci empcione et miraculosa solucione, que tunc impossibilis fratribus videbatur, necnon et de multis aliis contingentibus circa ipsum, de primo quoque loco plenius et diffusius est notatum in libello de fundacione conventus Lemovicensis, qui ibidem habetur.

Anno Domini M° CC° XL°, in crastino beati Bartholomei apos-

(1) Duplès-Agier, *Chroniques de Saint-Martial de Limoges*, 130.
(2) Evêque de 1226 à 1235.
(3) Martène : *Petrus Cellani.*
(4) Manque dans Martène.
(5) Manque dans Martène.
(6) Manque dans Martène.
(7) Martène : *erectus.*
(8) Ms. de Toulouse : *nec.*

toli (1), in isto secundo loco fuit benedictum cimiterium liberum et absque omni condicione, a venerabili patre domino Philippo, Bituricensi archiepiscopo (2), de mandato domini Penestrini cardinalis, tunc apostolice sedis legati in Francia (3), in presencia cleri et populi, vacante tunc sede Lemovicensi (4).

Anno Domini M° CC° XLI°, IIII° nonas aprilis (5), fuit fundata ecclesia fratrum in isto secundo loco a domino Durando, Lemovicensi episcopo, tunc noviter presulante (6).

Anno Domini M° CC° XLI°, in festo Nativitatis Beate Dei genitricis Marie, mutaverunt se fratres de primo loco ad secundum, sollempniter ac devote processionaliter incedentes cum toto provinciali capitulo, quod ibidem tunc extitit celebratum (7), comitante clero et populo multo, necnon et religiosis viris cum canticis et laudibus, sicut in prefato libello plenius est descriptum (8).

II. — Priores conventus lemovicensis (9).

Primus prior in conventu fratrum Predicatorum Lemovicensi fuit frater Petrus Cellani prefatus, qui post beatum Dominicum fuit primus frater ordinis Predicatorum, sicut notatum inveni a fratre Stephano de Salanhac (10), viro antiquo, qui ibidem in eius manibus est professus. Hunc fratrem Petrum Cellani beatus Dominicus suscepit ad ordinem in socium et in fratrem; ipse vero suscepit beatum Dominicum et totum qui tunc erat, immo incipiebat (11), ordinem Predicatorum, secum in hospicio proprio Tholose, in quo hospicio fratres primitus habitaverunt.

Cumque beatus Pater Dominicus post obitum gloriosi principis domini Symonis, comitis Montisfortis, fratres pro dilatacione ordinis dispergeret, istum (12) fratrem Petrum Cellani Lemovicas,

(1) Le 25 août par conséquent.

(2) Philippe Berruyer, archevêque de 1236 à 1261.

(3) Jacques de Pecoraria, cardinal-évêque de Palestrina.

(4) Par la mort de Guillaume du Puy, évêque en 1235.

(5) 2 avril.

(6) Evêque jusqu'en 1245.

(7) Voy. dans les *Actes* de ce chapitre provincial, *Acta capitulorum provincialium*, pp. 18-20.

(8) Martène : *libello continetur*.

(9) Titre courant.

(10) Martène : *Salanhaco*.

(11) Martène : *qui tunc in uno incipiebat*.

(12) Ms. de Toulouse : *hunc*.

ut locum et conventum ibidem, sicut pretactum est, acciperet, destinavit. Cum vero ignoranciam et librorum penuriam allegaret, nam unum solum quaternum de omeliis beati Gregorii tantum habebat; « Vade, inquit, fili, et confidenter vade, omni die bis habebo te coram Deo. Et ne dubites, multum adquires Deo, et afferes multum fructum. Cresces et multiplicaberis, et Dominus erit tecum ». Et sicut postmodum familiaribus suis sepius enarravit, cum intus vel extra angustia artabatur invocabat dominum Dominicum, reducens ad memoriam promissum suum; et omnia prospere succedebant.

Hic frater Petrus multis habitum sanctum dedit, et in terra sicut unus de prophetis antiquis apud clerum et populum in magna reverencia et honore consenuit, optime personatus, constans et rectus. Prior fuit Lemovicensis annis tredecim. Circa finem vero dierum suorum Tholosam rediit, unde extitit oriundus, ubi primus cum fratre Guillermo Arnaldi (1), viro constantissimo, deputatus fuit ad inquisicionis officium contra pravitatem hereticam exercendum in partibus Tholosanis et per totam terram comitis Tholosani, anno Domini M° CC° XXXIII°, sicut habetur et legitur in *Cronica* magistri Guillelmi de Podio Laurencii (2). Hic tandem post multos bonos labores in conventu Tholosano sancte in Domino diem extremum [clausit], fructus quietis et pacis eterne a Domino percepturus, VIII° kalendas marcii (3), anno Domini M° CC° LVII° (4), ut estimo de anno (5) ex auditis.

Secundus prior frater Geraldus de Fracheto (6) de castro

(1) L'inquisiteur tué à Avignonet en 1242.

(2) « In diebus autem legationis ejusdem episcopi Tornacensis, per summum Pontificem commissa est fratribus ordinis Praedicatorum inquisitio in his terris contra haereticos facienda; fueruntque ad hoc deputati frater Petrus Cellani et Guillelmus Arnaldi, qui Tolosae quosdam, quos facilius convinci posse praesumebant, citaverunt. » Cap. XLIII. Ils exercèrent ensemble l'office de l'Inquisition dans le Quercy et à Moissac (G. Pelhisso, *Chronicon*, p. 95).

(3) 22 février.

(4) 1258 (n. st.).

(5) Ms. de Bordeaux : *annis*.

(6) B. Gui est revenu sur ce religieux éminent plusieurs autres fois, d'abord dans son opuscule : *Predicatores graciosi et famosi* (Bibl. de la ville de Toulouse, ms. 490, fol. 43, A); ensuite dans son opuscule : *De prioribus provincialibus* (*Ibid.*, fol. 67, B); Gérard de Frachet fut provincial de la première province de Provence de 1251 à 1259; enfin dans l'*Histoire de la fondation du couvent de Montpellier*, dont il fut prieur de 1260 à 1263 (*Ibid.*, fol. 252, B). En 1263, Gérard de Frachet fut désigné

Luceti (1) Lemovicensis diocesis, successit fratri Petro Cellani, anno Domini M° CC XXXIII°. Prefuit autem ac profuit (2) annis XII., gratiosus ac dilectus Deo et hominibus, persona cunctis spectabilis, predicator facundus et fecundus. Hic locum primum consulte dimisit, incommoda plura et ineptitudines eius prudenter considerans et attendens: et locum secundum in quo nunc (3) habitamus discrete ac sollicite emit, et Beata virgo Maria cum filio suo, ymmo filius meritis et precibus pie matris sue per servum suum dominum Aymericum Palmutz, canonicum Dauratensem (4), miraculose persolvit. De hoc habetur in *Vitis fratrum*, lib. primo, cap. VI, *Cum fratres Lemovicenses*, etc. (5); de quo loco fuerat visio celitus premostrata, sicut habetur in eodem libro primo, cap. IIII°, *Narravit michi quidam honestus civis Lemovicensis*, etc. (6). Hunc locum et ordinem honoravit multipliciter et promovit. Hic fuit prior provincialis huius provincie octavus. Librum quoque, qui *Vitas fratrum* inscribitur, ipse compilavit et studiose recollegit, quinque libellis ipsum distinguens, ad mandatum venerabilis patris fratris (7) Hymberti, Magistri ordinis. Tandem plenus dierum et operibus bonis, in senectute bona, migravit ad Dominum in conventu Lemovicensi, in festo beati Francisci, IIII° nonas octobris, anno Domini M° CC° LXXI, etatis sue anno LXXVI°, ab ingressu vero ordinis anno XLVI°, quem intravit Parisius, in festo beati Martini, anno Domini M° CC° XXV°, sub fratre Matheo priore, et in sequenti festo Anunciacionis Dominice, in manu Magistri ordinis (8) professionem fecit, sicut scriptum inveni de manu sua in quodam libro suo. Sepultus est in claustro prope ostium ecclesie, ubi habentur insculpti in lapide sequentes versus :

Frater Geralde de Fracheto pie valde,
Tercius hic a te capitur locus inmediate.
Ordo, genus, vita, discrecio, linga polita,
Fama, pudor, pietas te laudant, pax, amor, etas.

comme électeur du Maître général (*Ibid.*, fol. 298, B); il mourut le 4 octobre 1271 (*Ibid.*, fol. 252, B). Voyez sa notice dans Quétif et Echard, *Script. ord. Præd.*, I, 259.

(1) Châlus (et non pas Châlucet), arr. de Saint-Yrieix (Haute-Vienne). Cf. Bernard Gui dans Echard, *Scriptores*, I, 259.

(2) *Ac profuit* manque dans le ms. de Toulouse.

(3) *Nunc* manque dans le ms. de Toulouse.

(4) Le Dorat (Haute-Vienne).

(5) *Vitæ fratrum*, p. 39. In-4°, éd. lithographiée, Marseille, 1875.

(6) *Ibid.*, p. 20.

(7) *Fratris* manque dans le ms. de Toulouse.

(8) Ms. de Toulouse : *Magistri Jordanis*.

Tercius prior frater Hugo de Mala morte (1) Lemovicensis dyocesis successit fratri Geraldo de Fracheto, anno Domini M°CC°XLV° vel XLVI°; prefuitque annis quinque. Hic fuit nobilis genere et animi virtute, vir magni rigoris et bone discrecionis. Fuit etiam prior Burdegalis, ubi fuit in archiepiscopum (2) nominatus, opinionis et fame preclare. Hic obiit in conventu Lemovicensi, IIII° kls. ianuarii (3), anno Domini M° CC° LXIII°. Tandem post aliquot annos ad instanciam venerabilis viri domini Helye de Mala morte, decani Lemovicensis, et aliorum parentum suorum nobilium, translatum est corpus eius ad fratres Brivenses, ubi avunculus et nepos in Domino requiescunt.

Quartus prior frater Stephanus de Salanhaco Lemovicensis dyocesis, bis; prima vice, successit fratri Hugoni de Mala morte, anno Domini M° CC° L°; fuitque inde translatus in priorem Tholosanum, anno Domini M° CC° LIX°. Hic frater Stephanus fuit in omni statu ac gestu suo religionis speculum aspicientibus, gracia predicacionis et sermonis benedictus in verbo audientibus, prudencia et sapiencia preditus in regimine, facundia et loquencia redimitus, experiencia multa edoctus, in hiis que religionis [sunt] optime instructus et instruens (4), enarrator gestorum et antiquitatum, ac exemplorum notabilium gratiosus et copiosus, morum ac gestuum maturitate compositus, famosus in tota patria (5). De quo adhuc infra.

Quintus prior frater Helyas Navarra Lemovicensis dyocesis successit fratri Stephano; prefuitque anno uno. Hic fuit vir sanctus et devotus, vere religionis speculum et ymago, veneranda valde persona, fervens et gratiosus predicator, in correctione rectus et constans, zelo salutis aliorum velut alter Helyas succensus. Hic fuit subprior Tholosanus et prior Narbonensis (6), et Carcassonensis (7) et Figiacensis (8). Tandem in senectute bona, obiit in conventu Brivensi, in kalendis (9) septembris, anno Domini M° CC° LXX°. Sepultus iacet in claustro prope hostium capituli ad levam introeuntibus.

(1) Douais, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, p. 429.

(2) Archevêque de 1227 à 1262.

(3) 30 décembre.

(4) Manque dans Martène.

(5) Quétif et Echard, *Scrip. ord. Præd.*, I, 415 ; — Douais, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, p. 483.

(6) B. Gui, *Fundat. conv. Narbonensis*. Bibl. de la ville de Toulouse, ms. 490, fol. 255.

(7) B. Gui, *Fundat. conv. Carcassonensis. Ibid.*, fol. 156, A.

(8) B. Gui, *Fundat. conv. Figiacensis. Ibid.*, fol. 173, A.

(9) Martène : *in calendis*. 30 août.

Sextus prior frater Geraldus de Sancto Valerico (1) Lemovicensis dyocesis successit fratri Helye Navarra, anno Domini M° CC° LX°; prior fuit annis quinque; fuit autem absolutus in capitulo generali Montispessulani, anno Domini M° CC° LXV° (2). Hic de monacho Sancti Marcialis (3) factus est predicator devotus et fructuosus, gratus et letus et largus, et persona venerabilis. Tandem in senectute bona, in conventu Lemovicensi, in die Natalis qua Christus natus est mundo, natus est ipse, ut pie creditur, in celo. Illucescente siquidem aurora illius diei sancti, voluit et peciit ut fratres servitores qui ei infirmo assistebant, coram se sibi dicerent officium misse matutinalis que dicitur in aurora, scilicet : *Lux fulgebit hodie super nos,* etc. ; quo devote ac attente audito ac expleto, gracias agens Deo, ait : « Karissimi fratres, officium misse maioris, scilicet : *Puer natus est nobis,* etc., audiam in celo cum angelis » ; et post paululum in Domino obdormivit, et in missa conventuali corpus eius fuit in choro fratrum, anno eiusdem Domini benedicti M° CC° LXXX°. Sepultus est in claustro ante limen ecclesie, ubi epithaphium eius sequentes continet versus :

Hic situs est frater G. de Sancto Valerico.
Subveniat mater Christi pietatis amico.
Gratus, amans, hylaris, Christo florem iuvenilis
Optulit etatis, susceptus in ordine gratis
In matutino medio placuit quoque trino
Ac uni Domino tempore serotino.
Sic ubi complevit annos ter in ordine quinos
Et decies trinos, moriens in pace quievit.

Frater Stephanus de Salanhaco predictus secunda vice successit fratri Geraldo de Sancto Valerico, anno Domini M° CC° LXV°. Tempore prioratus sui hac ultima vice intravit ordinem et suscepit habitum de manu ipsius, in conventu Lemovicensi, venerabilis pater dominus Petrus de Sancto Asterio, episcopus Petragoricencis (4), anno Domini M° CC° LXVII° ; qui annis XXXIII episcopatum digne et laudabiliter gubernavit, in ordine vero annis VIII mensibus quatuor cum dimidio, vixit Lemovicis laudabiliter et honorabiliter ; obiitque feliciter pridie ydus iulii (5), dominica die, anno

(1) Saint-Vaury (Creuse).
(2) Bibl. de la ville de Toulouse, ms. 489, fol. 70[1].
(3) L'abbaye de Saint-Martial de Limoges.
(4) Evêque de Périgueux depuis 1234. Voy. plus bas, pp. 13 14.
(5) 14 juillet.

Domini M° CC° LXXV°; sepultus est in medio chori fratrum (1). Tempore quoque prioratus fratris Stephani hac secunda vice, anno Domini M° CC° LXIX°, fuit inchoatum et fundatum dormitorium ex parte inferiori versus ortum ; et memoratus dominus P., Petragoricencis episcopus, primarium lapidem posuit in eodem, de cuius bonis tam in vita ipsius quam post mortem fuit quasi perfectum et consumpmatum. Hic frater Stephanus compilavit (2) tractatum quemdam brevem et devotum devotis : *De quatuor in quibus Deus Predicatorum ordinem insignivit*, quem ego in notulis scriptum de manu sua (3) semiperfectum reperiens diligencius recollegi, ipsum compingens noviter reformavi, pluraque (4) superaddidi in locis suis secundum exigenciam materie in eodem (5), quam invenerim in eodem (6). Prior fuit Lemovicis tam prima quam secunda vice in universo annis XVI, fuitque absolutus hac vice in capitulo generali Montispessulani, anno Domini M° CC° LXXI° (7). Hic fuit prior Podiensis, et Tholosanus ; tandem plenus dierum quasi sexagenarius in ordine obiit Lemovicis, VI° ydus ianuarii (8), anno Domini M° CC° nonagesimo (9) ; sepultus in claustro ante hostium ecclesie.

Septimus prior frater Nicholaus de Monte maurilii, sic cognominatus erat, tamen Lemovicencis dyocesis origine, successit fratri Stephano de Salanhaco, vir suavis moribus et optime litteratus. Prior fuit anno quasi dimidio ; fuit autem absolutus ibidem a priore provinciali fratre Petro de Valetica, anno Domini M° CC° LXXI°, post Natale Domini. Hic multis annis rexit et tenuit studium generale in Montepessulano ac studium Tholosanum sollempniter et honorabiliter utrobique, et in Burdegalis ; in conventu vero Lemovicensi legit et docuit plusquam XV annis ; tandem legens canonicis in sede cathedralis ecclesie Narbonensis, in cathedra more doctoris sedens, et cum mirabili fervore et devocione sedens et (10) exponens illud Eccl. XXIIII, *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, etc.*, de sapientia increata et de natura humana in Christo et

(1) B. Gui a consacré une notice à cet illustre religieux dans son opuscule : *De quatuor in quibus Deus Predicatorum ordinem insignivit*. Bibl. de Toulouse, ms. 490, fol. 35 A.

(2) Ms. de Toulouse : *incoavit*.

(3) Ms. de Bordeaux : *fratris* ; à la marge : *Stepha* ·.

(4) Martène : *pleraque*.

(5) *In eodem* manque dans le ms. de Toulouse.

(6) C'est l'opuscule déjà cité.

(7) Bibl. de Toulouse, ms. 489, fol. 79c.

(8) 8 janvier.

(9) 1291 (n. st.).

(10) *Sedens et* manque dans le ms. de Toulouse.

de Virgine Beata, dulciter et quasi imperceptibiliter cunctis astantibus, sibi vero feliciter (1) in Domino obdormivit, feria VIª ante Ascensionem Domini de mane, quod fuit III° nonas (2) maii, anno Domini M° CC° LXXIX°. Et sic assumpsit eum Deus in officio, in quo placuerat ei, sicut sepe audivi a plerisque et specialiter a fratre Hugone de Rotinaco de conventu Brivensi, qui socius eius erat, et presens fuit (3) et vidit et audivit. Sepultus est Narbone in claustro fratrum ante hostium capituli.

Octavus (4) prior frater Johannes de Chastanc Lemovicensis dyocesis successit fratri Nicholao predicto; prefuit annis fere tribus; fuit autem absolutus in capituto provinciali Tholosano, anno Domini M°CC°LXXIIII°. Hic fecit fieri tempore sui prioratus campanile ecclesie, anno Domini M°CC°LXXIII°. Hic fuit vir mente devotus, facie et conversacione letus, predicator admodum promptus et copiosus, sedulus attractor magnorum peccatorum ad Deum. Hic fuit prior Sancti Emiliani et Brive; tandem in senectute bona et canicie veneranda, subprior Lemovicensis existens, obiit III° kls. aprilis (5), anno Domini M°CC°LXXXI°; sepultus est in claustro Lemovicensi ante ingressum ecclesie (6).

Nonus prior frater Petrus de Mulceone Lemovicensis dyocesis de predicacione Brivensi, ter : prima vice, successit fratri Johanni de Chastanc, ex lectore Brivensi factus prior Lemovicensis ; confirmatus fuit in Briva per fratrem P. de Planis (7), priorem Brivensem,

(1) *Et quasi.. feliciter* manque dans le ms. de Toulouse.

(2) Martène : *idus*. 5 mai. Ms. de Bord : *de mane, anno*.

(3) *Et presens fuit* manque dans Martène.

(4) Ce qui suit jusqu'à *decimus nonus prior* n'a pas été donné par Martène.

(5) 30 mars.

(6) Douais, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, 433.

(7) Lecteur de théologie au couvent de Cahors en 1268 (*Acta capitul. provinc.*, Bibl de la ville de Toulouse, ms. 490, fol. 305 A) : prédicateur général en 1268 (*Ibid.*, fol. 306 A) ; lecteur de théologie au couvent de Limoges en 1270 (*Ibid.*, fol. 309 A) ; au couvent de Périgueux en 1272 (*Ibid.*, fol. 312 B), au couvent de Brive en 1275 (*Ibid.*, fol. 319 A) ; prieur du couvent de Brive deux fois : 1° de 1264 à 1266. « Primus prior in conventu fratrum Predicatorum Brivensi fuit frater P. de Planis, qui bis fuit prior ; prima vice fuit institutus in capitulo provinciali Avinionensi in festo Beate Marie celebrato, anno Domini M°CC°LXIIII°. Prior fuit hac vice annis duobus et amplius, fuitque absolutus in Briva a priore provinciali fratre Bernardo Geraldi, circa Natale Domini, anno Domini M°CC°LXVI°. Hic fuit magnus promotor loci, procurator bonorum et attractor amicorum. — Primus lector assignatus ibidem fuit frater Johannes de Montecuco, qui tamen non

anno Domini M°CC°LXXIIII°. Tempore huius hac prima vice fuit consumpmatum dormitorium ex parte ecclesie, et fuit facta camera lectoris ante hostium dormitorii, et fuerunt facte camere private, omnia fere de pecunia domini Petri (1), Petragoricensis episcopi memorati ; prior fuit hac vice annis sex ; fuitque absolutus in capitulo provinciali Narbonensi, anno Domini M°CC°LXXX°, et ibidem lector Lemovicensis assignatus (2). De quo adhuc infra.

Decimus prior frater Johannes de Nontronio (3) Lemovicensis dyocesis successit fratri Petro de Mulceone, de subpriore ibidem prior effectus ; prior fuit anno uno, fuitque absolutus in sequenti capitulo provinciali Massilie, anno Domini M°CC°LXXXI°. Hic fuit bene religiosus et bonus ; plenusque dierum obiit Lemovicis, IIII° kls. maii (4), anno Domini M°CC°LXXXII° vel III°.

Frater P. de Mulceone prefatus secunda vice successit fratri Johanni de Nontronio ; prior fuit hac vice annis tribus ; fuitque absolutus in via qua ibat ad capitulum provinciale Pirpiniani, anno Domini M°CCL°XXXIIII°. De quo adhuc infra.

Undecimus prior frater Petrus Raymundi Baranho Tholosanus successit fratri Petro de Mulceone, de priore Castrensi factus prior Lemovicensis circa Natale Domini, anno Domini M°CC°LXXXIIII°. Prior fuit anno quasi dimidio ; fuitque absolutus in sequenti provinciali capitulo Condomiensi, anno Domini M°CC°LXXXV°. Hic fuit prior Castrensis, Sancti Emiliani, Alti villaris, Podiensis ; et tandem subprior Tholosanus obiit extra in predicatione laborans, sabbato sancto Pasche (5), anno Domini M°CCCI°. Sepultus est Tholose (6).

venit nec legit, unde frater P. de Planis predictus fuit primus prior et in officio primus lector, tenens insimul cathedram et quadrigam ». (B. Gui, *Fundat. conv. Brivensis. Ibid.*, fol. 194. Cf. D. Martène, *Ampl. collect.*, VI, 501-506) ; 2° de 1273 à 1275. « Frater P. de Planis predictus secunda vice successit fratri Helye de Briva predicto, ex lectore Lemovicensi factus prior Brivensis, confirmatus ibidem per fratrem Stephanum de Salanhac. Prior fuit hac vice annis tribus, fuitque absolutus in capitulo provinciali Pirpiniani, anno Domini M°CC°LXXV°. Hic senex bonus et famosus in patria, obiit in conventu Brivensi, sepultus in introitu capituli in ipso hostio, anno Domini M°CC°LXXXVI°. Hic fuit promotor edificiorum conventus industrius et sollicitus toto tempore quoad vixit ». (B. Gui, *Ibid.*, fol. 194 B).

(1) Pierre de Saint-Astier.

(2) Douais, *Les Frères prêcheurs en Gascogne*, 457.

(3) Nontron (Dordogne).

(4) 28 avril.

(5) A la marge, d'une autre main : *Prima die aprilis*. Pâques tomba, en effet, le 2 avril.

(6) Douais, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, 460.

Frater P. de Mulceone prefatus tercia vice successit fratri Petro Raymundi predicto; prior fuit anno uno; fuitque inde prior Lemovicensis existens translatus ad prioratum Montispessulani, post provinciale capitulum Brageriaci, circa festum sancti Michaelis(1), anno Domini M°CC°LXXXVI°; prefuit in conventu Lemovicensi in universo annis X. Hic fuit vir gratus Deo et hominibus, famosus in tota patria, nobilis genere, nobilior humilitatis virtute, super afflictos et miseros gestans viscera pietatis. De prioratu vero Montispessulani factus fuit inquisitor Tholosanus paulo post Natale Domini, anno Domini M°CC°LXXXIX°. De officio vero inquisicionis electus et assumptus est ad provincialatum in capitulo provinciali Brivensi, in Assumptione Beate Marie Virginis celebrato, anno Domini M°CC° nonag° II°; priorque provincialis existens, in conventu Montis albani positus ad quem venerat visitandum, migravit ad Dominum, VI° kls. augusti (2), in festo beate Marthe, anno Domini M°CC° nonag° V°; ubi primo iacuit tumulatus; deinde translatum fuit corpus eius ad conventum fratrum Brivensem, in capitulo provinciali Caturcensi (3), anno Domini M°CC° nonag° VIII°, ubi nunc in Domino in capitulo requiescit.

Duodecimus prior frater Petrus Copelli de Valeria (4) Lemovicensis dyocesis, bis; prima vice successit fratri Petro de Mulceone, de lectore Caturcensi prior Lemovicensis effectus circa festum Omnium Sanctorum, anno Domini M°CC°LXXXVI°; prior fuit hac vice annis duobus; fuit autem absolutus per litteram prioris provincialis, quam ipsemet procuravit post provinciale capitulum Avinionense, anno Domini M°CC° octog° VIII° (5). De quo adhuc infra.

Tercius decimus prior frater Yterius de Compuhaco (6) Lemovicensis dyocesis, quater; prima vice, successit fratri Petro Copelli, de lectoris cathedra ibidem prioris positus ad cadrigam; prefuit anno uno; fuit autem absolutus in sequenti provinciali capitulo Narbonensi, anno Domini M°CC° octog° IX° (7). De quo adhuc infra.

Quartus decimus prior frater Gaufridus Leporarii Lemovicensis

(1) 29 septembre.

(2) 29 juillet.

(3) Les *Actes* de ce chapitre sont muets à ce sujet.

(4) Vallière (Creuse).

(5) Le ms. de Bordeaux porte par erreur *nonag°*. — Douais, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, 452.

(6) Compreignac, arr. de Bellac (Haute-Vienne). Itier de Compreignac mourut à Saint-Junien (Haute-Vienne) en 1304.

(7) Douais, *Ibid.*, 486. — Le ms. de Bordeaux porte par erreur *nonag°*.

dyocesis successit fratri Yterio de Compuhaco, de subpriore ibidem prior effectus; prefuit anno uno (1) et modicum amplius; fuit autem absolutus per litteran vicarii provincie fratris Bernardi de Trilia (2), in festo beati Andree paulo post provinciale capitulum Appamiense, anno Domini M°CC° nonag°. Hic bonus vir fuit; obiit Lemovicis, XIIII° kls. iulii (3), anno Domini M°CC° nonag° V° vel VI° (4).

Frater Yterius de Compuhaco predictus secunda vice successit fratri Gaufrido predicto, ex lectore ibidem, sicut et prius, prior effectus; prefuit hac vice annis duobus; fuitque absolutus in capitulo provinciali Brivensi per priorem Bituricensem fratrem Petrum de Massiis, auctoritate Magistri ordinis; et fuit ibidem lector Burdegalis assignatus, anno Domini M°CC° nonag° II°; non tamen illuc ivit, set lector Lemovicis remansit.

Frater P. Copelli predictus secunda vice successit fratri Yterio de Compuhaco; prefuit hac vice annis duobus; fuitque absolutus hac vice per litteram prioris provincialis fratris Petri de Mulceone, quam ipsemet secreto optinuit et in capitulo Lemovicensi in festo beate Marie Magdalene legit ibidem ad veniam, coram fratribus humiliter se prosternens, post generale capitulum Montispessulani, anno Domini M°CC° nonag° IIII°. Hic fuit vir mitis, humilis et devotus, bene religiosus, dilectus Deo et fratribus, predicator bonus. In flore iuventutis et valoris obiit Lemovicis, XV° kls. augusti (5), anno Domini M°CC° nonag° VIII°; quiescit in claustro iuxta hostium ecclesie immediate ad levam intrantibus in tumulo fratrum XIIcim.

Quintus decimus prior frater Joannes de Villanova Lemovicensis dyocesis (6), bis; prima vice, successit fratri Petro Copelli, electus in sequenti festo beate Marthe; prefuit hac vice annis duobus; fuitque absolutus in capitulo provinciali Narbonensi, anno Domini M°CC° nonag° VI°.

Sextus decimus prior frater Durandus de Petrucia (7) dyocesis Ruthenensis de predicacione conventus Figiaci successit fratri

(1) *Uno* manque dans le ms. de Toulouse.

(2) Quetif et Echard, *Script. ord. Præd.*, I, 155; — Douais, *op. cit.*, 393.

(3) 18 juin.

(4) En 1289, il avait été nommé prieur du couvent de Figeac; il n'accepta pas. B. Gui, *Fund. conv. Figiacensis*. Bibl. de la ville de Toulouse, ms. 490, fol. 174 A.

(5) 18 juillet.

(6) Douais, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, 443.

(7) Peyrusse (Aveyron).

Johanni de Villanova; prefuit annis quasi duobus; fuit autem absolutus in capitulo provinciali Caturcensi, ubi fuit ipse diffinitor, anno Domini M°CC° nonag° VIII°. Hic fuit prior Ruthenensis et Narbonensis et postmodum fuit prior Pirpiniani et Albiensis. Hic obiit Figiaci post provinciale capitulum Montis albani, in quo fuerat diffinitor, anno Domini M°CCC°III°, in octabis Omnium Sanctorum, VI° ydus novembris (1),

Frater Johannes de Villa nova predictus secunda vice successit fratri Durando; prefuit hac vice annis tribus; fuitque absolutus in capitulo provinciali Agennensi, anno Domini M°CCCI°. Hic fuit prior Brivensis et prior et lector pariter Podiensis. Hic obiit in senectute bona in conventu Lemovicensi, III° kls. iunii (2), in sabbato, anno Domini M°CCCV°, ab ingressu vero ordinis anno Domini XLII°.

Frater Yterius de Compuhaco (3) predictus tercia vice fuit electus feria VI° infra octabas Assumpsionis Beate Marie (4), et confirmatus consequenter; tamen non prefuit in hac vice, quia de Caturco ubi lector erat ad iugum venire noluit prioratus; tandem electio et confirmacio cassata fuit, Tholose, in vigilia Purificacionis Beate Marie, anno Domini M°CCCI° (5), me presente.

Decimus septimus prior frater Raymundus Extranei Lemovicensis dyocesis de predicatione Brivensi successit fratri Johanni de Villa nova in regimine, electus IIII° ydus februarii, in festo Scolastice virginis, anno Domini M°CCCI°; tempore prioratus fuit facta una pars claustri, scilicet ex parte ecclesie, anno Domini M°CCCIII°,

(1) Ce religieux que B. Gui appelle ailleurs Durand Salpicat, *Durandus Salpicati* (*Fund. conv. Ruthenensis*, Bibl. de Toulouse, ms. 490, fol. 225 B; *Fund. conv. Albiensis. Ibid.*, fol. 219 B) fournit une longue et belle carrière : étudiant de logique au couvent de Figeac en 1264 (*Act. cap. prov. Ibid.*, fol. 299 A); étudiant des arts au couvent de Figeac en 1265 (*Ibid.*, fol. 300 A); prédicateur général désigné en 1282, en 1286 et en 1300 (*Ibid.*, fol. 335 A, fol. 343 A, fol. 380 A); visiteur en 1294, en 1296, et cette année visiteur spécial du couvent de Pamiers (*Ibid.*, fol. 366 A, fol. 370 A, B); *socius* de Bernard de Jusic (Douais, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, 387), au chapitre général de 1298 (*Ibid.*, fol. 372 B); définiteur au chapitre provincial 1298, de 1300 et de 1303 (*Ibid.*, fol. 372 B, fol. 379 A, fol. 387 A); vicaire de la province en 1299, annonce la mort de frère Raymond Hunaud provincial (*Ibid.*, fol. 376 A, B, fol. 377 A); prieur du couvent de Narbonne (B. Gui, *Fund. conv. Narbonensis, Ibid.*, fol. 256 A), du couvent de Rodez (B. Gui, *Fund. conv. Ruthenensis, Ibid.*, fol. 225 B), du couvent de Perpignan (B. Gui, *Fund. conv. Pirpiniani, Ibid.*, fol. 258 B) et du couvent d'Albi (B. Gui, *Fund. conv. Albiensis, Ibid.*, fol. 219 B).

(2) 30 mai.

(3) *De Compuhaco* manque dans le ms. de Bordeaux.

(4) 18 août.

(5) 1302 n. st.

pro qua habuit conventus CXX libras de legato domine Valerie Manhana, matris fratris Helie Manha (1). Constitit autem amplius LXXX librarum. Prior fuit annis duobus et dimidio quasi; fuit autem absolutus in capitulo generali (2) Tholose, anno Domini M CCC°IIII° (3).

Frater Yterius de Compuhaco predictus quarta vice successit fratri Raymundo Extranei, confirmatus Tholose in crastino sancti Johannis Baptiste, anno Domini M°CCC IIII°. Prior fuit hac vice mensibus fere duobus tantum. Hic prior Lemovicensis existens, obiit inter priores Lemovicenses primicie dormientium priorum, quia nullus ante ipsum obiit ibi in officio prioratus; obiit autem in villa Sancti Juniani, ubi precedenti die dominica infra octabas Assumpsionis Beate Marie Virginis in ecclesia predicans de eadem : *In omnibus requiem quesivi*, more suo voce qua poterat altiori eius gloriosam requiem extollendo, vix finito sermone finem predicandi pariter et loquendi deinceps ibidem coram populo fecit; indeque productus ad domum prepositi et ad lectum, diem claudens extremum, pervenit ad requiem quam predicaverat et optarat, sequenti feria V^a^, scilicet XIII° kls. septembris (4), in festo beati Bernardi abbatis, anno Domini M°CCCIIII°; eademque die fuit corpus eius allatum apud Lemovicas et honorifice in capitulo tumulatum, anno vero ab ingressu ordinis XLII°, quem ingressus est anno Domini M°CC°LXIII°, in festo beati Petri martiris (5), in conventu Lemovicensi, priore existente fratre Geraldo de Sancto Valerico, sub etate puerili, circiter XIII aut XIIII annorum, dilectus et electus a Deo cum puritate et innocencia vite, quam cum claritate fame illibate in ordine conservavit.

(1) Douais, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, 427.

(2) *Generali* manque dans le ms. de Toulouse.

(3) Ce religieux a fourni une longue carrière. Entré dans l'ordre en 1265, (B. Gui, *Fund. conv. Brivensis*, Bibl. de Toulouse, ms. 490, fol. 196 A), il fut étudiant des arts au couvent de Figeac en 1266 et au couvent d'Orthez en 1267 (*Act. capit. prov. Ibid.*, fol. 301 A, fol. 303 B); visiteur en 1291 (*Ibid.*, fol. 358 B) et en 1304 (*Ibid.*, fol. 391 A); porte au chapitre provincial tenu à Béziers en 1291, une demande de fondation pour Saint-Junien (Dordogne) (*Ibid.*, fol. 234); accepte au chapitre de Brive de 1292 le *lieu* de Saint-Pardoux (*Ibid.*, fol. 246 A), la province n'ayant pas de provincial; vicaire de la province en 1292; membre du chapitre général de 1293, (*Ibid.*, fol. 359 A); prédicateur général en 1304 (*Ibid.*, fol. 391 B; prieur du couvent de Brive deux fois, de 1291 à 1293, de 1306 à 1308 (B. Gui, *Fund. conv. Brivensis. Ibid.*, fol. 195 A, fol. 196 A); prieur du couvent de Bergerac de 1304 à 1306 (B. Gui, *Fund. conv. Brageriacensis*, fol. 199 B).

(4) 20 août.

(5) Saint Pierre de Vérone dont la fête se célèbre le 29 avril.

Christiferam venerans, sic clamans magnificavit,
Quod verbum superans devocio debilitavit;
Rapta fuit mens, flens siluit vox, preco Marie;
Dum docuit, tunc ocubuit lux archa sophie.

Decimus octavus prior frater Stephanus Laurelli de Garacto (1) Lemovicensis dyocesis, bis; prima vice, successit fratri Yterio memorato de lectore ibidem prior effectus, sequenti mense septembris, in festo Sancte Crucis, anno Domini M° CCCIIII°; quo tempore factum fuit capitulum novum precio CXL (2) librarum, et provinciale capitulum celebratum in sequenti festo beate Marie Magdalene, et pars claustri ex parte capituli pro maiori parte facta; prior fuit anno quasi uno; fuitque absolutus, paulo post provinciale capitulum inibi celebratum, per litteram prioris provincialis fratris Bertrandi de Claromonte, infra octabas beati Dominici : et repositus ibidem ad officium lectionis, anno Domini M° CCCV° (3).

Decimus (4) nonus prior omnium minimus successi ego frater Bernardus Guidonis fratri Stephano Laurelli, in vigilia beati Bartholomei apostoli (5), Burdegalis confirmatus, anno Domini M° CCC V°. In sequenti vero tempore paschali, anno Domini M° CCCVI°, in festo beati Georgii martiris (6), quod fuit in sabbato, dominus Clemens Papa V cum octo cardinalibus venit Lemovicam et ad domum fratrum Predicatorum declinavit sine diverticulo ad manendum, ubi concessit priori presenti, agenti gracias et petenti, quod confessor quem sibi eligeret et ipse prior super fratres, et confessores quos ipse prior fratribus deputaret, pro una vice eamdem et tantam haberent in omnibus (7) potestatem in foro penitentiali absolvendi et dispensandi ab omnibus culpis et penis citra purgatorium, quantam ipse Papa super eos habebat (8). In crastino vero in quo fuit dies dominica, littera dominicali B., idem Papa, visitato prius corpore Sancti Marcialis. et benedictione data populo congregato in platea Sancti Geraldi, recessit apud Sollempniacum (9), versus Burdegalam dirigens gressus

(1) Guéret (Creuse).
(2) Ms. de Toulouse : *CXV*.
(3) Douais, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, 482.
(4) Donné par Martène, col. 468, 469.
(5) 23 août.
(6) 23 avril.
(7) *In omnibus* manque dans le ms. de Toulouse.
(8) *Quantam*, etc., manque dans Martène.
(9) Solignac près Limoges.

suos (1). Hoc eodem anno Domini M° CCCVI°, facta fuit libraria precio C librarum et amplius. Prior fui anno uno et dimidio ; fui autem absolutus per litteram Magistri ordinis, et factus inquisitor Tholosanus per litteram prioris provincialis Francie, receptis inde litteris utriusque Lemovicis, in festo beati Marcelli Pape et martiris (2), XVII° kls. febroarii, anno Domini M° CCCVI° (3).

Frater (4) Stephanus Laurelli predictus secunda vice successit michi fratri Bernardo Guidonis, ultima die ianuarii electus, in medio vero sequentis mensis frebroarii confirmatus Tholose ; ad eumque pervenit confirmacio in vigilia vel in cathedra sancti Petri, anno Domini M° CCCVI° (5). Hoc in tempore vicecomes Lemovicencis qui diu impediverat et retardaverat, tandem permisit et concessit ut fratres prepararent et edificarent (6) sibi portale in loco prius empto versus barrium de Manhenia, ubi facta fuit porta, anno Domini M° CCCVII°. Prior fuit hac vice anno uno et mensibus quinque ;

(1) D'après le *Regestum Clementis papae V* publié par les Bénédictins du Montcassin (In-fol., Romae, 1885-1888), le pape Clément V se trouva à La Souterraine le 15 avril (n° 784) et le 16 à Grandmont (n° 407). De nombreuses bulles furent expédiées de Grandmont le 18 (n°s 952, 953, etc.), le 20 (n°s 1342, 1344, 1346, 1359, etc.), le 21 (n° 423) et le 22 avril (n°s 787, 788, 791, 792, 1047). Sous la date du 23 avril, trois bulles portent *Datum Lemovicis* (n°s 1385, 1386, 1416); par la première (n° 1385), le pape accordait cent jours d'indulgences en faveur de l'église de N. D. de La Rochefoucauld, diocèse d'Angoulême, aux fêtes de la Nativité, de l'Annonciation, de la Purification et de l'Assomption de la Sainte-Vierge; par la seconde (n° 1386), il autorisait le doyen de cette église à recevoir un autre bénéfice *ad suam sustentationem* ; par la troisième (n° 1416), il l'autorisait à prendre trois autres églises et à retenir 20 livres tournois sur l'église N. D. de La Rochefoucauld. Trois autres bulles portant *Datum Lemovicis* sont placées sous la date du 20 avril : elles sont toutes les trois en faveur de l'évêque de Limoges, Reginal de la Porte, auquel le pape accorde le pouvoir de faire recevoir dix religieux dans dix des maisons régulières du diocèse (n° 1336), de créer six prébendes au Dorat à Ahun, à Moutier-Rauseille, à Saint-Junien et à Saint-Yrieix (n° 1388), et de faire réconcilier par un prêtre un cimetière souillé *per effusionem sanguinis vel seminis* (n° 1389). Deux bulles sont datées de Solignac, où Clément V se trouva le 24 avril (n°s 1245, 1335). Le 27, il était à Excideuil (Dordogne) (n°s 1314, 1318) et le 30 à Périgueux (n°s 424, 789, 790). Etc., etc.

(2) Manque dans Martène.

(3) 16 janvier 1307 (n. st.)

(4) Rien de ce qui suit n'a été donné par Martène.

(5) Le 21 ou le 22 février 1307 (n. st.)

(6) Ms. de Bordeaux : *preparent ut edificarent.*

fuit autem absolutus in capitulo provinciali Brivensi, in festo beate Marie Magdalene celebrato, anno Domini M° CCCVIII°.

Vicesimus prior frater Thomas Narmanni (1) de Ageduno successit fratri Stephano Laurelli, confirmatus in priorem in principio mensis decembris, Baione, anno Domini M° CCCVIII°; prior fuit anno dimidio, fuitque absolutus in sequenti capitulo provinciali in Petragora, in festo beati Barnabe celebrato (2), anno Domini M° CCCIX°.

Vicesimus primus prior frater Guido Helye de Anexonio (3) successit fratri Thome Narmanni, confirmatus in priorem paulo post festum sancti Johannis Baptiste, anno Domini M° CCCIX°; prior fuit annis duobus, fuitque absolutus in capitulo provinciali Burdegalensi, anno Domini M° CCCXI°, in festo Assumptionis Beate Marie Virginis celebrato (4).

Frater Stephanus Laurelli predictus tercia vice successit fratri Guidoni Helye, confirmatus in priorem in Pruliano (5), in festo sancti Clementis (6), anno Domini M° CCCXI°; prior fuit mensibus sex ista vice, priorque existens, obiit in conventu Ruthenensi, ad quem accesserat visitandum, pridie kls. maii (7), anno Domini M° CCC° XII°.

Vicesimus secundus prior frater Helyas de Planis Brivensis successit fratri Stephano Laurelli, ex priore sororum Sancti Pardulphi (8) factus prior Lemovicensis, confirmatus quarta die mensis iulii, anno Domini M° CCC° XII°; prior fuit anno uno, fuitque absolutus in capitulo provinciali Albiensi in festo Magdalene celebrato, anno Domini M° CCC° XIII° (9).

(1) Un autre frère appelé *Thomas Narmanni Lemovicensis* était étudiant de théologie à Toulouse, en 1305. *Act. cap. prov.* Bibl. de Toulouse, ms. 490, fol. 392 A.

(2) *In... celebrato* manque dans le ms. de Toulouse.

(3) Nexon, près Limoges.

(4) Douais, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, 409.

(5) Prouille (Aude).

(6) 23 novembre.

(7) 30 avril.

(8) Saint-Pardoux (Dordogne).

(9) Etudiant de philosophie (*naturalia*) au couvent de Figeac en 1287 (*Act. cap. prov.*, Bibl. de Toulouse, ms. 490, fol. 345 B); étudiant de théologie au couvent de Limoges, en 1289 (*Ibid.*, fol. 350 B); au couvent de Toulouse, en 1291 (*Ibid.*, fol. 357 B) et en 1292 (*Ibid.*, fol 359 B); au couvent de Montpellier, en 1293 (*Ibid.*, fol. 363 A); sous-lecteur au couvent de Limoges, en 1296 (*Ibid.*, fol. 369 A); lecteur de théologie au couvent de Collioure, en 1298 (*Ibid.*, fol. 372 B); visiteur en 1313 (*Ibid.*, fol. 418 B); prédicateur général en 1315 (Bibl. de Toulouse, ms. 488,

Frater Guido Helye predictus secunda vice successit predicto fratri Helye, confirmatus in priorem in festo sancte Cecilie (1) Tholose, anno Domini M° CCC° XIII°; prior fuit annis paulo minus duobus; fuitque absolutus per litteram prioris provincialis post provinciale capitulum Sancti Emiliani, anno Domini M° CCC° XV°.

Frater Thomas Narmanni predictus secunda vice successit fratri Guidoni Helye, mense augusti, confirmatus in priorem, anno Domini M° CCC° XV°; prior fuit tribus annis; fuitque absolutus in capitulo provinciali Brivensi, anno Domini M° CCC° XVIII° celebrato.

Vicesimus tercius prior frater Dominicus de Monte totino Tholosanus successit predicto fratri Thome, confirmatus in priorem mense iulii, anno immediate prenominato; fuitque absolutus in capitulo provinciali Castrensi, anno Domini M° CCC XX°, in festo apostolorum Petri et Pauli (2).

Frater Thomas Narmanni predictus tercia vice successit predicto fratri Dominico, confirmatus in priorem in Castris, anno quo supra; prior fuit hac vice VII annis; fuitque absolutus per litteram provincialis post capitulum provinciale Lemovicense, anno Domini M° CCC° XXVII°. Huius tempore fuerunt edificate due partes claustri ex parte refectorii et ex parte orti.

Vicesimus quartus prior frater Petrus Guidonis successit predicto fratri Thome ex lectore Lemovicensi, confirmatus in priorem in Caturco, mense iulii, anno quo supra; prior fuit quasi uno anno, fuitque absolutus Tholose in capitulo provinciali celebrato post capitulum generale, anno Domini M° CCC° XXVIII°; qui factus fuit primus lector canonicis Sancti Stephani Tholose (3).

Vicesimus quintus frater Johannes de la Chiesa successit predicto fratri Petro, confirmatus in priorem in fine iunii, anno Domini quo supra; prior fuit tribus annis, fuitque absolutus in capitulo provinciali Lectorensi, anno Domini M° CCC° XXXI° (4).

Frater Thomas Narmanni predictus quarta vice successit predicto fratri Johanni, confirmatus in priorem in Morlanis, circa festum Marie Magdelene, anno Domini M° CCC° XXXI°; fuit prior quatuor annis integris et modicum plus; fuitque absolutus in capitulo pro-

fol 75 a); prieur du monastère de Saint-Pardoux, deux fois, de 1311, à 1312, et en 1314. (B. Gui, *Fund. conv. Sancti Pardulphi. Ibid.*, fol. 247 B), prieur du couvent de Brive, trois fois, de 1309 à 1311, de 1313 à 1314, de 1320 à 1323. (B. Gui, *Fund. conv. Brivensis. Ibid*, fol. 196 B).

(1) 22 novembre.

(2) Douais, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, 402.

(3) Douais, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, 453, 454.

(4) Voy. les *Actes* de ce chapitre dans mes *Frères Prêcheurs en Gascogne*, 210.

vinciali in Alto villari celebrato (1), anno Domini M° CCC° XXXV°, in festo Assumptionis Beate Virginis.

Vicesimus sextus prior frater Guido de Mortuo mari, de Sancto Asterio (2) Petragoricensis dyocesis, successit memorato fratri Thome, confirmatus post capitulum Alti villaris, circa festum Omnium Sanctorum, anno Domini M° CCC° XXXV°.

(1) *Actes* dans mes *Frères Prêcheurs en Gascogne*, 221.

(2) Lecteur des arts au couvent de Castres en 1323 (*Act. cap. prov.*, Bibl. de Toulouse, ms. 490, fol. 442 B); lecteur de théologie au couvent de Belvez en 1331 (*Ibid.*, fol. 462 A); visiteur en 1340 (*Ibid.*, fol. 493 B); prédicateur général en 1342 (*Ibid.*, fol. 500 A).

II

MEMORIALIA PRO CONVENTU LEMOVICENSI

(Archives de la Haute-Garonne, H. Dominicains étrangers, Limoges).

MEMORIALIA PRO CONVENTU LEMOVICENSI FRATRUM PRAEDICATORUM excerpta ex vetustissimo codice characteribus gallicis manu exarato in pergameno, in quo habetur fundatio hujusce conventus cum aliis ad ipsum spectantibus, quorum omnium historia quantum conjectare licet, inchoata est circa annum Domini 1240 a fratre Gerardo de Francheto, aucta deinde a fratre Stephano de Salanhaco, ornata a fratre Bernado Guidonis, et ad haec usque tandem tempora deducta a variis incertisque au[c]thoribus, ab omnibus tamen eidem codici mandata, qui integer asservatur in deposito, et in quo haec leguntur.

I. — [FUNDATIO PRIORIS ET POSTERIORIS CONVENTUS LEMOVICENSIS]

Anno (1) Domini millesimo CC°XIX° (2) circa quadragesimam, missus est fr. Petrus Cellani (3), natione Tholosanus, de conventu Parisiensi, cum duobus fratribus, quorum alter conversus erat, apud Lemovicam, ut ibi, accepta domo in iis quae ad nostrum ordinem pertinent, Domino deservirent, si quidem beatus Dominicus antea praedixerat hoc esse suae voluntatis ut apud Lemovicam ubi homines ecclesiae devotos audierat, fratres in proximo mitterentur. Cum igitur dicti fratres ad jam dictum locum devenissent, recepti sunt hilariter et devote a venerabili patre Bernardo de Savene, Lemovicensi episcopo, praecipue vero a magistro Guidone de Cluzello, Lemovicensi archidiacono, qui et tunc temporis decanus erat ecclesiae Sancti Aredii (4). Hic autem, cum esset vir magnae au[c]thoritatis et inter omnes canonicos illius ecclesiae in dandis eleemosinis magis excellens, promisit se daturum dictis fratribus locum ad habitandum. Sed cum adhuc nondum se offerret opportunitas, de volun-

(1) A la marge: *Adventus fratrum apud Lemovicam, anno Domini 1219.*
(2) 1220, n. st. Voy. plus haut, p. 264, note 1.
(3) Voy. plus haut, p. 264.
(4) Saint-Yricix (Haute-Vienne).

tate et consilio dicti archidiaconi, redierunt fratres Parisios; post pascha, repeterunt iterum Lemovicam, habito nuncio praedicto archidiaconi cum locum ordini congruum reperisset.

Sequenti autem anno post Natale Domini, dictus fr. Petrus rediit Lemovicam associatus ut supra dictum est, et datus est locus fratribus ultra pontem Sancti Martialis juxta Vigennam fluvium, emptus si quidem de proprio dicti archidiaconi a Petro Jayo, burgensi castri Lemovicensis, qui eum vendidit pretio LXXXI librarum. Joannes vero Botis, burgensis Lemovicensis, cum non haberet liberos, ad instantiam multorum praefuit operibus. Hic autem postmodum multa bona contulit fratribus, inter quae illud peculiare, quod ad domum fratrum fontem adduxit propriis sumptibus et in claustro convenienter aptavit. Interim vero fratres manebant in domo Sancti Gerardi (1), in una domo ad partem sibi, prout consuetudo ordinis est, procurantes. In instanti autem quadragesima, videlicet octavo calendis aprilis, quando scilicet Annuntiatio Domini in ecclesia solemniter celebratur (2), de voluntate domini episcopi, multo clero et populo praesentibus, dictus archidiaconus primarium posuit lapidem in fundamento ecclesiae, fundans eam in honorem beatae et venerabilis matris Domini nostri Jesu Christi. Nulla autem adhuc domus aedificabatur ibi. Interim vero, scilicet in prima die ipsius quadragesimae (3), fr. Petrus recepit ad ordinem unum fratrem clericum nomine Briccium (4) qui usque ad annum Domini millesimum CC°LXVI supervixit, et in sequenti aestate unum conversum nomine Martinum de castro Lemovicensi. Facta autem jam domo una, in eodem loco venerunt fratres de domo Sancti Gerardi ad locum novum, et tunc primo inhabitare coeperunt, videlicet in festo Nativitatis Beatae Mariae virginis gloriosae.

Domus autem Lemovicensis quinta domus ordinis fuit vel quarta (5), prima filia domus Parisiensis ; secunda vero fuit Remensis.

Tunc ad instantiam fratris Petri prioris missi sunt de Parisiis tres fratres clerici. Caput ecclesiae jam constructum erat, sed non-

(1) La maison Saint-Gérald de Limoges. A la marge : *Domus Sancti Gerardi est domus canonicorum regularium Sancti Augustini.*

(2) Le jeudi avant le dimanche de la Passion, Pâques ayant dû tomber le 11 avril en 1221.

(3) Le 24 février,

(4) A la marge : *Fr. Briccius de Peyrat V^us frater hujus convent. Lemov.*

(5) Le prieur du couvent de Limoges occupait, au chapitre provincial de la première province de Provence, la première place à gauche, le prieur du couvent de Toulouse occupant la première à droite. B. Gui, dans QUÉTIF et ÉCHARD, *Script Ord, Praed.*, I, p. II.

dum ibidem divinum officium celebrabatur. Postmodum vero in die Epiphaniae Domini celebrata fuit ibi missa a dicto archidiacono patrono loci. Iste patronus aedificavit majorem partem dormitorii et dedit quosdam libros, scilicet breviarium, missale, Senecam, et amplius quaedam alia, et crucem argenteam quae habet duo brachia (1). In ipso autem anno, ante mutationem fratrum, obiit foeliciter venerabilis et primus pater et institutor nostri ordinis Beatus Dominicus (2) et ideo sequenti anno in festo Pentecostes celebratum fuit Parisiis capitulum generale, ubi interfuit fr. Petrus Cellani cum supradicto fr. Briccio. Tunc vero, inspirante Dei gratia, electus est concorditer et pacifice in Magistrum ordinis foelicis recordationis frater Jordanis Theutonicus natione, sed conversatione coelestis (3). Hoc autem nomen sortitus est, ut ipse asserebat, quia parentibus suis causa peregrinationis in Terra Sancta commorantibus, ibidem natus, in Jordanis flumine baptizatus est. Per hunc autem, cum esset apud Deum et homines admodum gratiosus, promovit Deus ordinem longe lateque et religione et numero fratrum. Hiis autem quae ad capitulum pertinebant in pace peractis, rediit fr. Petrus prior apud Lemovicam, additis sibi pluribus fratribus. Domus vero Lemovicensis fuit de provincia Franciae usque ad aliud generale sequens capitulum quod post duos annos est iterum Parisiis celebratum ; cui et interfuit fr. Petrus cum dicto fratre Briccio, quo licet renitente assignata fuit domus Lemovicensis provinciae Provinciae (4) commutata pro Lugdunensi.

Consummata interius ecclesia, dedicata est solemniter a dicto patrono nostro jam facto interim episcopo Lemovicensi. Cumque fratres dictum locum inhabitarent a secundo anno mutationis et deinceps, ipsius loci ineptitudinem et angustiam, necnon gravamina, multa damna et pericula tam corporalia quam spiritualia recognoscentes, quae ad praesens longum esset revelare, et aequanimiter tolerare non possent, in quinto anno a loci institutione de communi consilio missi sunt duo fratres ad dictum patronum qui adhuc archidiaconus erat, super hoc ipsius voluntatem et consilium

(1) A la marge : *Non extat illa crux.*

(2) Saint Dominique est mort à Bologne, le 6 août 1221.

(3) P. Danzas, *Etudes sur les temps primitifs de l'ordre de saint Dominique. Le bienheureux Jourdain de Saxe.* 3 vol. in-8°, Paris, Oudin, 1873. — Quétif et Echard, *Script. ord. Praed.*, I, 93.

(4) Première province de Provence. Le couvent de Limoges passa à la province de Toulouse en 1303, année où la première province de Provence fut divisée pour former la province de Toulouse et la seconde de Provence.

habituri : ipso enim contradicente vel impediente, non poterant fratres perficere quod volebant; erat enim magnanimus et satis potens. Quo audito, dictus patronus, non attendens nec ponderans verba fratrum, non solum assensum praebere non voluit, sed insuper non modicum turbatus, se contrarium pro viribus fore asseruit, si hoc fratres praesumerent attentare.

Tacuerunt ergo fratres ad tempus licet gementes, nullam super hoc memoriam in aperto facientes. Ipse autem deinceps durius se habuit ad fratres. Cumque per octo annos episcopatum rexisset, mortuus est in senectute bona et plenus dierum. Fuerunt autem anni vitae eius, ut ipse aliquando asseruit, CXXXX^a^ vel amplius (1). Huic successit dominus Willelmus de Podio, vir venerandus et magnanimus, canonicus Engolismensis ecclesiae, aetate quidem juvenis sed morum gravitate senex ; sed quia terra non fuit digna tanto ac tali laetari praesule, ante consecrationem longa detentus in infirmitate infra annum in pace quievit.

Post hunc dominus Durandus, ecclesiae Lemovicensis archidiaconus et Sancti Juniani (2) praepositus, ab altera parte capituli electus est in episcopum. Sed cum causa super ipsius electione diu ventilaretur et mora ad se periculum traheret, inspirati fratres a Deo, videntes adesse temporis opportunitatem, ut super mutatione sua, auxiliante Deo, suum desiderium adimplerent, rogaverunt per se et per amicos Heliam de Banxagiers et nepotes ejus qui tunc temporis simul convivebant, quatenus terram quamdam quam prope utramque villam habebant in parochia Sancti Michaelis de Pistoria (3), quae ad aedificandum in ea conventum congrua videbatur, vendere dignarentur (4). Quod cum post multas preces praestituros se promisissent, investiverunt fratrem Gerardum de Franchetto, tunc temporis priorem, pro se et fratribus, de dicta terra, quam ab omni quittatam dominio et liberam pro sex mille solidis concesserunt fratribus in perpetuum possidendam.

Instante prope diem tempore quo fratres ex condicto pecuniam pro emptione dicti loci numerare tenebantur, et eam in manibus non haberent nec mutuo possent invenire accipiendam, angustiati admodum super hoc, omnique humano auxilio destituti, divinam

(1) A la marge : *Anni vitae Guidonis de Cluzello, episcopi Lemovicensis et primi conventus Praedicatorum ultra pontem fundatoris, fuerunt centum quadraginta.*

(2) Saint-Junien-sur-Vienne, à quelques lieues en aval de Limoges.

(3) Saint-Michel-de-Pistorie, église de Limoges voisine du couvent des Frères prêcheurs.

(4) A la marge : *Olim erat duplex Lemovica, una inferior, superior altera, quae et Castrum Lemovicense dicebatur.*

opem assiduis et instantibus precibus implorabant. Deus autem qui non deserit sperantes in se, fratribus de die in diem Dei adjutorium praestolantibus subvenire quantocius non tardavit. Suscitavit enim illis, si sic loqui fas est, salvatorem dominum Aymericum Palmut virum venerabilem, canonicum Daurentensis (1) ecclesiae, qui et antea familiaris et beneficus ordini fuerat, cuique in proposito et votis erat, expeditis prius domesticis rebus suis, in ordine nostro Deo deservire, reliquumque vitae cum nostris transigere. Hic inopinato Lemovicam adveniens, vocatis in capitulum fratribus, quampluri-mum se gaudere dixit de futura mutatione conventus, quam ut a Deo inspiratam impense laudavit, non pauca de primi loci ineptitudine annectens. Quibus omnibus expositis, pro sua erga nos benevolentia subjunxit se audivisse nondum nos habere patronum qui loci noviter empti pretium solvat. « Igitur, inquit, Deus ipse Dominus noster Jesus Christus sit patronus noster et beatissima mater ejus, cujus missam tam devote hodie celebrastis (erat quippe sabbatum); et ego servus ipsorum persolvam pro ipsis pecuniam ad quam estis obligati ». Hiis auditis, quantum exhilarata in Domino fuerint corda fratrum frequens ad Deum gratiarum actio satis protendebat, nec facile dictu quanta fuerit quorumdam fratrum prae gaudio effusio lacrymarum, vel quot et quantae sanctae imprecationes tam largo promissori non tantum animo conceptae, verum etiam et ore propalatae !

Soluta est ergo predicta pecuniae summa dictis burgensibus, qui postmodum loci pretium mitigantes de recepta jam pecunia reddiderunt fratribus LX libras, ita tamen quod tenerentur fratres satisfacere Bernardo Papalou pro dominio et aliis quae habere poterat tam ex se quam ex parte mulieris suae in praedicto loco empto a fratribus, quae omnia praefatus Papalou et uxor ejus Hylaria, datis prius et computatis quingentis solidis, per integrum et in perpetuum fratribus concesserunt et quittaverunt.

Emerunt etiam fratres a Bernardo Ruphi XLII libris domum quamdam in ipso praedio aedificatam juxta majorem viam cui nunc contigua est major porta. Dominium vero hujus domus et census XII solidorum ad praedictos burgenses pertinebat. Quae omnia transierunt sub pretio quod ante habuerant; hoc enim in venditione loci promiserant non solum de illa domo, sed etiam de omni loco qui ad ipsos pertineret, si forte ad ampliandum locum aliquid emeretur. In isto autem loco qui ab istis burgensibus emptus est sunt coemeterium, ecclesia et omnis domus; et ab ultima parte dormi-

(1) Le Dorat, arr. de Bellac (Haute-Vienne). A la marge : *Daurat est urbs modica distans 8 leucis a Lemovica.*

torii tendit recto tramite versus ecclesiam Beatae Valeriae (1) usque ad viam.

Interea cum res in ipso exordio publicaretur, capellanus Sancti Michaelis de Pistoria in cujus parochia locus situs est, et canonici Sancti Aredii (2), dictae ecclesiae patroni, opposuerunt se fratribus aedificare volentibus, necnon et capellani castri et civitatis Lemovicensis, praecipue autem qui majores et meliores videbantur, quidam occulte et quidam manifeste. Venerabilis vero pater Philippus Biturricensis archiepiscopus (3), qui vacante sede Lemovicensi mutandi consilium et au[c]thoritatem dederat saepe, licet frustra, laboravit ut inter fratres et dictum capitulum pacem per omnia componeret. Tandem ut totum Deo et non hominibus tribueretur, fratres cum dictis capitulo et capellano Sancti Michaelis pacifice concordantes promiserunt se daturos X solidos renduales dictae ecclesiae Sancti Michaelis, quos postmodum dominus Petrus Bernardi de Caluçon assignavit eidem ecclesiae in manso suo, dicto de Vilars, accipiendos. Insuper dederunt fratres eidem capellano, semel ex pacto, unum bonum vestimentum paratum cum casula. Promiserunt quoque fratres daturos se dictis canonicis duas cappas sericas quas habebant; sed eas cum vidissent canonici parvi pendentes recipere abnuerunt.

Cum adhuc vacante sede incoeptum esset aedificium conventus, dominus Praenestinus apostolicae sedis legatus in Francia, ad instantiam fratrum dedit in mandatis venerabili patri archiepiscopo Bituricensi, quatenus in eodem loco fratrum coemetericum benediceret; et licet a multis et magnis occulte et manifeste contradiceretur, aliis confusis, aliis per Dei gratiam et domini archiepiscopi industriam pacatis, in presentia cleri et populi benedictum est coemetericum fratrum liberum et absque omni conditione, videlicet in die sancti Bartholomei apostoli (4), anno M° CC° XL°; nec oblivioni dandum verbum dicti archiepiscopi. « Ecce », inquit, « magnum vobis coemeterium benedixi; cavete, fratres, ne alicui aperiatis terram ejus, de quo non credatis quod ei Dominus aperiat celum suum » (5). Tertio post die, allata est littera domini papae

(1) Sainte-Valérie, près le faubourg du Pont-Saint-Martial.

(2) A la marge : *Urbs modica in Lemovicinio, distans 8 circiter leucis a Lemovica.*

(3) Philippe Berruyer (1236-1260). A la marge : *Episcopus Lemovicensis est suffraganeus archiepiscopi Bituricensis.*

(4) 24 août.

(5) Le droit privait les hérétiques de la sépulture ecclésiastique. Décret Greg. Lib. V, Tit. VII, c. VIII.

super confirmatione electionis domini Durandi; a quo sequenti anno fundata est ecclesia fratrum, scilicet quarto nonas aprilis.

Ab ipso autem principio hujus negotii quaedam matronae castri Lemovicensis promiserunt se daturas summam pecuniae pro loco antiquo fratrum, in quo post eorum recessum proponebant sub habitu religionis Deo famulari. Huic facto, vacante sede, dominus archiepiscopus et postmodum dominus Durandus factus jam episcopus au[c]thoritatem praebuit et assensum. Quod cum rescissent, burgenses castri et civitatis, super hoc habito multo consilio, congregati in unum et ad episcopum accedentes, convocatis fratribus, hoc factum in magnum damnum utriusque villae in praesens et in posterum posse contingere asseverabant, rogantes ut destructis aedificiis loci antiqui, ligna et lapides portarentur ad construendum locum novum; quod et factum est de voluntate et assensu domini archiepiscopi et domini episcopi Lemovicensis tunc praesentium. Destructio autem capellae fere per quinquennium dilata est, sperantibus semper fratribus inventuros se quempiam virum pium qui empto loco ad prudentum arbitrium, capellam et coemeterium gratis acciperet et ibi Deo deserviret. Sed frustratis spe sua fratribus cum talis non se offerret opportunitas, de consilio et voluntate domini Durandi episcopi capella diruta est et locus venditus, extractis prius inde corporibus fratrum et saecularium ibidem quondam sepultorum, et ad novum locum cum reverentia et honore asportatis, ibique conditis.

Interea anno Domini n° CC° XLI°, cum priores et alii fratres provinciae secundum consuetudinem ordinis ad celebrandum provinciae capitulum apud Lemovicam convenissent, die quarta ante festum Nativitatis Beatae Mariae, videlicet secundo nonas septembris, supradictus dominus Aymericus Palmut, bonae memoriae patronus noster, assumpto in infirmitate sua habitu ordinis, praesentibus quibusdam fratribus apud Dauratum (1) migravit ad Dominum; cumque Lemovicam afferretur, occurrit ei obviam ad duo fere milliaria multitudo fratrum nostrorum qui ad capitulum convenerant. Multi quoque fratres Minores, pluresque alii viri et mulieres de castro Lemovicensi congregati deduxerunt corpus usque ad domum antiquam ubi adhuc fratres degebant. In crastinum vero honorifice sepultus est in capitulo fratrum novi loci, quorum fuit propositum transferendi ipsum juxta ostium ecclesiae a parte claustri, sicut ipse defunctus cum adhuc viveret, requisivit; Deo sic providente ut qui frater futurus ad habitandum fratribus locum dederat et in parte aedificaverat, tandem jam factus frater ejusdem loci

(1) A la marge : *Le Daurat.*

congruam sibi particulam primus e fratribus tam beate quam pacifice possideret. Ipse autem tam vivens quam moriens de bonis a Deo collatis fere usque ad valorem ducentarum marcharum fratribus largitus est et juxta cognomen suum palmas suas extendit ad pauperes fratres quam largissime.

In instante festivitate Nativitatis Beatae Virginis Mariae, fr. Pontius de Lesparra (1), prior provincialis, cum ministris altaris sacris indutus vestibus reliquias sanctorum et sacra vasa portantibus, omnesque fratres qui ad celebrandum capitulum convenerant, quin et multi ex fratribus Minoribus qui mutuae charitatis erga se nostris adjunxerant processionaliter et devote Domino decantantes, praesente et comitante plurima cleri et populi utriusque villae turba, a loco antiquo ad novum mature properantes hilariter pervenerunt. Festivitatem hanc et veluti translationem diei serenitas decorabat. Consummatisque divinis laudibus prout tanta solemnitas exigebat, dies ista devote et foeliciter completa est. Capitulo provinciali juxta ordinis morem et ritum, divina opitulante gratia, fauste completo (2), fratres sani et incolumes ad propria redierunt. Fuerunt autem fratres in primo loco viginti annis; nec defuit nec superfuit una dies.

Verum cum omne fere spatium dicti novi loci occuparetur a coemeterio, ecclesia, claustro, dormitoriis, infirmitorio et aliis officinis, et admodum exiguus esset hortus ad spatiandum, varias terrae portiones a variis emerunt fratres nostri, quorum omnium nomina et conditiones contractuum fusius esset hic ea scribere et parum utile referre. Hoc unum scire juvat, adeo religiosos, ad charitatis officia erga proximum adeo promptos et faciles, uno verbo in omni virtutum genere adeo praestantes se exhibuisse fratres nostros, ut brevi omnium animos, admirationem et benevolentiam sibi conciliarint. Quod vel ex eo colligere in promptu est, quod non tantum privati homines, verum et magistratus ex publica pecunia ultro contulerint ad integram solutionem omnium dictorum camporum, ex quibus unitis modo constat totum conventus territorium muris circumcinctum, si aliquam coemeterii se[u] areae anterioris ad ecclesiam et conventum partem excipias, diffusum usque ad quindecim circiter jugera gallica. Antiquum vero locum in quo primo aedificata fuerat domus fratrum vendiderunt fratres Hugoni Jauvi (?), burgensi castri Lemovicensis, dirutis prius et solo aequatis omnibus aedificiis, asportatisque lapidibus, lignis et aliis ad constructionem novi conventus aptis et utilibus.

(1) Douais, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, 466.
(2) Douais, *Acta capit. provinc.*, 18.

Accidit secundo mutationis anno ut quidam civis de Belloloco (1), cujus nomen Ademarus d'Aguones, unus ex optimatibus illius loci, fratribus nostris bene affectus eorumque hospes beneficus, uxorem habens B[er]engardam nomine, matronam utique humilem et devotam circa vitae suae finem de manu quorumdam fratrum tunc praesentium habitum nostri ordinis susciperet, illucque sepeliretur; si quidem dum viveret et senili uteretur valetudine ut in fratrem conversum reciperetur fuerat illi concessum. Postmodum illius uxor liberis orba, venditis quae ad ipsam pertinebant, Lemovicam venit et prope locum fratrum quibus speciali charitate et devotione astringebatur, emit ab Helia de Peiteus (?) quamdam domum coemeterio propinquam; in qua cum per quatuor circiter annos commorata fuisset, honestam in Domino vitam agens, dedit fratribus praedictam domum cum omni illius suppellectili et quibusdam aliis secundum suas facultates; asportatisque secum coeteris rebus suis, ingressa est domum sanctimonalium sororum nostri ordinis juxta castrum de Montargis, sicut diu ante pro ipsa exoraverant fratres nostri, eisque fuerat concessum.

II. — De morte domini Durandi, episcopi Lemovicensis.

Circa annum Domini mill. CC. XLIIII, dominus Durandus, Lemovicensis episcopus, in rurali domo sua, quae Insula (2) dicitur, una leuca distans a Lemovica, graviter aegrotans, diem clausit extremum, mense decembri. Prior autem conventus nostri, fr. scilicet Gerardus Franchettus, et plures alii ex fratribus nostris adfuerunt pr[a]esentes ab episcopo vocati, ut ejus ab hac vita exitum devotis precibus suis Domino commendarent, qui evenit ipsa nocte festivitatis beati Thomae, martyris (3). Cum vero hinc transferretur ad urbem, occurrerunt obviam fratres nostri et fratres Minores processionaliter, necnon et canonici cathedralis ecclesiae cum coeteris claustralibus et clericis utriusque villae; populus quoque adfuit innumerabilis; delatumque est corpus ejus ad ecclesiam cathedralem, ubi per diem illam et noctem sequentem remansit, celebratis de more debito ejus exsequiis; die crastina allatum est ad domum nostrum ubi ipse vivens et mentis compos sepulturam delegerat; sepultusque est cum reverentia et honore in capitulo fratrum aliquot ante diebus benedicto et destinato in coemeterium a domino

(1) A la marge : *Beaulieu ou Beloc.*
(2) Isle, près Limoges.
(3) 29 décembre.

Bituricensi archiepiscopo de consensu domini Durandi episcopi in infirmitate positi. Hac autem exequiae peractae sunt anno Domini 1245, quarto kalendas januarii, infra quinquennium pontificatus domini Durandi. Propositum autem fratrum fuit transferendi corpus domini Durandi ad ecclesiam, cum, Domino volente, aedificata fuisset. Quod quidem praestitum est, illiusque corpus e capitulo extractum repositum fuit in medio chori ecclesiae nostrae anno Domini 1253, ut inferius pro loco dicetur

III. — De beneficiis et morte domini Guillelmi de Malomonte.

Nec excidat a memoria fratrum, ne forte, quod absit, ingrati videamur, quantum dominus Guillelmus de Malomonte, quondam canonicus et archidiaconus ecclesiae cathedralis, beneficus nostri ordinis extiterit et amicus, avunculus dicti fratris Gerardi de Franchetto secundi prioris nostri. Hic cum sanus et vivens fratres nostros dilexisset, multisque sibi obstrinxisset sibi beneficiis, in finem dilexit eos [Joan., xiii, 1], in tantum ut apud nos de misericordia Dei et fratrum precibus confisus sepulturam destinaret corpori suo et manum munificam porrigeret adeo largam ut ad caput ecclesiae duabus testudinibus peramplis contentum posset sufficere construendum. Ipse vero, disposita provide domo sua, susceptisque devote ecclesiae sacramentis, plenus dierum bonorumque operum, migravit ad Dominum, sepultusque est in capitulo fratrum, anno Domini 1247, pridie idus aprilis (1); et postea, anno Domini 1253, translatus fuit cum domino Aymerico Palmut, patrono nostro, de capitulo, et in eodem locello cum dicto patrono repositus in muro ecclesiae juxta ostium claustri ad ecclesiam, ut infra dicetur fusius.

IV. — De reliquiis Colonia Lemovicam adsportatis.

Anno Domini 1245, frater Geraldus, tunc temporis prior, usque Coloniam properans causa capituli generalis ibidem celebrandi (2), attulit inde caput unius ex undecim millibus virginibus quae ibidem martyrio coronatae coelum celeriter rapuerunt. Attulit etiam de Treviri unum os longum quod dicitur fuisse de brachio sancti Innocentii de legione Thebaeae; item, quasdam reliquias sancti Mauritii et

(1) 12 avril.

(2) Bibl. de la ville de Toulouse, ms. 489, fol, 48c; — D. Martène, *Thesaurus*, IV, 1688.

sanctae Elisabeth, quae de eadem regione oriunda propter eminentem sanctitatem ab omnibus honoratur. Attulit quoque reliquias quorumdam aliorum sanctorum; item, crucem argenteam parvulam cum ligno Domini. Sed haec modo non habentur in conventu, cum majori ex parte perierint in turbulentis bellorum civilium temporibus.

V. — De beneficiis Stephani Lespaiers et aliorum.

Praetermittendum non est, sed potius ad posteros per scripta transmittendum quot et quanta beneficia fratribus praestiterit Stephanus Lespaiers, burgensis castri Lemovicensis. Cum fratres ad primum locum inhabitandum devenissent, antequam in ecclesia divinum officium celebraretur altare majus ecclesiae sumptibus propriis construi curavit, et de omnibus illius ornamentis tam in calice quam in libris, indumentis, cortinis, mappis, cruce, thuribulo, vitreis et hujusmodi abunde providit. Postmodum eodem in loco erexit capellam testudinatam admodum decoram et amplam, quam vitreis et picturis et choro exornavit, in eaque posuit imaginem aeream deauratam Beatae Virginis valde pulchram et formosam et sumptuosam. Adeo enim se fratrum obsequio mancipaverat, vir aliunde tum natalibus tum opibus clarus, ut vix fieret opus aliquod in domo, ad quod ipse de suo non conferret. Fieri quoque curavit in ecclesia majori crucifixum mediocris staturae ita pulchrum ut vix simile opus in tota patria posset reperiri, juxta quem sex aliae imagines fuerunt repositae diligentissima arte elaboratae. Post mortem etiam ipsius habuimus de rebus ejus pecuniam satis magnam, et vitram et quedam alia et lampadam perpetuam, quae omnia periere.

Sciendum etiam est quod magister G. de Vidario in primo anno adventus fratrum legavit nobis Historias Manducatoris (1) correctas, quas manu sua ipsemet scripserat, et licet hoc forsitan modicum quid videretur, in scriptis tamen redigendum duximus, et quia primus dedit, et quia debile principium melior fortuna subsecuta est, maxime vero ut fratres beneficiorum ejus memores existant coram Deo. Hinc est quod ad notitiam omnium desideramus venire magistrum Aymericum d'Artis, canonicum Sancti Aredii, Deo devotum et ordini nostro bene affectum, circa dierum suorum finem habitum ordinis nostri sumpsisse sicut diu ante ipsi fuerat concessum, et in coemeterio nostro fuisse sepultum. Legavit autem fratribus multos libros quos habebat.

(1) Pierre Comestor. *Patrol. lat.*, cxcviii, 1045.

Item, magister G. de Chambonio dedit similiter multos libros fratribus, plures et meliores prioribus.

Item, dominus Aymericus Guerrut de villa Sancti Juniani (1) oriundus, quondam archiepiscopus Lugdunensis (2), cum in manibus domini papae Innocentii apud Lugdunum illi quam regebat ecclesiae resignasset (3), rediit ad partes istas et post paucos annos a tempore resignationis suae vitam quam scientia et probis moribus ornatam in longum satis protraxerat, foeliciter finivit, sepultusque est in domo Grandimontensi. Legavit autem nobis et fratribus Minoribus totam bibliam glossatam. Nos vero de consensu fratrum Minorum habuimus primam partem. Insuper historias Manducatoris et librum valde pulchrum et bonum cui titulus: *Ordinarius episcoporum* (4). Item, habuimus quinquaginta libras et quaedam alia. Item, a pluribus aliis personis fama et doctrina conspicuis multos alios habuimus libros, tum canonicos et sacros, theologicos et historicos.

VI. — Litterae commendatitiae domini Durandi, episcopi Lemovicensis.

Durandus divina miseratione Lemovicensis episcopus dilecto sibi in Christo officiali suo Lemovicensi, salutem cum dilectione sincera. Cum domus religiosorum virorum fratrum Praedicatorum Lemovicensium non sit de districtu castri Lemovicensis, imo potius civitatis, cum sit in parochia Sancti Michaelis de Pistoria, et nos ipsos alias tamquam eos quos amplectimur in visceribus charitatis velimus quantum cum Domino possumus prosequi gratia et favore, qui et ratione libertatis sibi per privilegia eis indulta concessae cum omni tractandi sint honestate, rogamus vos atque requirimus quatenus occasione interdicti lati a nobis in castrum Lemovicense eos ad servandam hujusmodi sententiam nullatenus adstringatis, sed eos in ea esse libertate libere permittatis in qua erunt ecclesiae civitatis vel suburbiorum ejusdem. Datum......

VII. — Litterae domini Aymerici, episcopi Lemovicensis.

Aymericus (1) Dei gratia episcopus Lemovicensis, ecclesiarum

(1) Saint-Junien (Haute-Vienne).

(2) Aymeric Guerry (1236-1245).

(3) Bulle d'Innocent IV, *Gall. christ.*, IV, *Inst.*, 30.

(4) En regard, à la marge: *Tunc temporis pro magno et pretioso dono habebantur libri, non introducto adhuc impressionis usu.*

(5) Aimeric de la Serre de Malemort (1246-1272).

rectoribus Lemovicensis diocesis constitutis ac vicariis eorumdem, salutem in Domino. Cum religiosos viros fratres Praedicatores Lemovicenses speciali amore tanquam charissimos filios charitatis visceribus amplectamur, volumus et rogamus quatenus de sacris reliquiarum pignoribus quae in ecclesiis vestris habentur, ad locum suum Domino dedicandum dignemini liberaliter impartiri, prout se obtulerit opportunitas et facultas. Datum Lemovicae, quarto idus martii, anno Domini mill. ducentesimo quinquagesimo tertio.

VIII. — De celebratione officii ecclesiastici in ecclesia nova et consecratione majoris altaris et aliorum minorum altarium.

Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo, sexto idus septembris, in festivitate Nativitatis beatissimae Virginis Mariae, celebraverunt fratres officium ecclesiasticum pro prima vice in ecclesia nova, duobus tantum testudinibus arcuatae molis peractis cum portione templi; primam missam solemnem decantavit frater Gerardus de Franchetto, tunc temporis prior Massiliensis. Advenerat enim Lemovicam ad visitandos fratres et patrem suum, qui de strenuo milite in loco hoc factus fuerat humilis frater. A tempore autem mutationis de loco veteri ad novum fluxerunt novem anni per quos fratres officium divinum celebraverunt in capitulo, ante quod erat porticus in quo recipiebatur populus ad divina, ubi et duo altaria constructa erant ad celebrandas missas privatas. Venerabilis autem pater dominus Philippus, Bituricensis archiepiscopus, instante morte domini Durandi episcopi Lemovicensis, benedixit coemeterium in praedictis porticu et capitulo, sicut supra notatum est. Ipse est qui etiam primum magnum coemeterium externum benedixerat, ut superius dictum est.

Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, in festo sancti Georgii (1) quod tunc contigit in octavis paschae, consecratum est altare majus ecclesiae nostrae a domino Philippo, Bituricensi archiepiscopo, in honorem Dei et vivificae crucis et Beatae Mariae et omnium sanctorum. Repositae autem fuerunt ibi in latere dextro reliquiae inclusae in quodam parvo vasculo aeneo, videlicet de tribus partibus crucis, item de corpore apostolorum Petri et Jacobi, et martyrum Laurentii et Eleutherii, Joannis Baptistae, Martini confessoris Turonensis, et Mariae Magdalenae et virginum de Colonia. Haec autem dedicatio facta fuit de voluntate et consensu domini Aymerici, episcopi Lemovicensis, qui tunc temporis pro

(1) 23 avril. Cette année, en effet, la fête de Pâques tomba le 16 avril.

quibusdam negotiis absens erat. Alio tempore aliam capellam infirmariae solemniter consecravit dominus Aymericus, episcopus Lemovicensis, in honorem Domini nostri Jesu Christi et beatorum Joannis Baptistae et Joannis Evangelistae, et eodem anno in eadem capella sepelivit dominum Joannem de Castronovo (1) in habitu ordinis nostri, canonicum quondam ecclesiae Sancti Juniani, qui dictam capellam propriis sumptibus extruxerat omnibusque decoraverat ornamentis; multis etiam aliis iisque insignibus beneficiis cumulavit nos praedictus dominus, inter quae illud non omittendum majorem infirmariam ab ipso propriis sumptibus extructam fuisse, ad quam fontem deduxit per aquae ductum insignem.

Post aliquot annos elapsos nimirum circa annum millesimum ducentesimum sexagesimum sextum, dominus Petrus a Sancto Asterio, episcopus Petragoricensis, consecravit alia altaria tum in ecclesia tum in sacristia.

IX. — De dedicatione ecclesiae nostrae Lemovicensis.

Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, venit P. F. Gerardus de Fracheto post celebratum provinciale capitulum Lemovicae; valedicturus fratribus congregatis, dixit suae esse voluntatis ut ecclesia nostra dedicaretur in honorem beatae et gloriosae semper Virginis Mariae; et hoc potissimum tribus de causis, quarum prima erat, quia hoc fundator noster dominus Aymericus Palmut in votis habere demonstraverat, dum offerendo pecuniam pro emptione soli ecclesiae dixerat quod Dominus noster et ejus sanctissima mater forent nostri patroni. Secunda, quia multa huic conventui collata fuerant beneficia in festivitatibus Beatae Mariae. Tertia, quia dominus Durandus, episcopus Lemovicensis, fundaverat ecclesiam ponendo primarium lapidem in honorem Beatae Mariae. His rationibus moti fratres omnes consenserunt tali dedicationi in honorem Beatae Mariae, uno excepto qui erga beatum Dominicum pia motus affectione cupere se dixit ut in ejus honorem consecraretur. Sed nondum faustum hoc tempus dedicationis advenerat. Fluxerunt enim centum et triginta sex anni post tale colloquium, antequam tantum hoc nobis accideret bonum, nempe usque ad annum 1389um, quo dominus Aymericus Chati (2), episcopus Lemovicensis, rogatus saepissime a fratribus nostris ut ecclesiam nostram consecrare

(1) A la marge : *Familia baronum de Castro novo, gallice Châteauneuf, est inter nobiliores et insigniores Lemovicinii.*

(2) Aimeric Chathi de l'Age-au-Chapt (1372-1390).

dignaretur, annuit, pollicitusque est se id praestiturum die undecima julii, quae erat dominica. Quo audito foelici nuntio, conventus licet pauperrimus et multis debitis obstrictus, confisus de Dei et Deiparae adjutorio, cogitare coepit, de necessariis ad tantam solemnitatem, mittere praedictum fratrem Arnaldum ad dominum Ludovicum de Sancto Marco, decanum ecclesiae cathedralis, ut ipsum nomine totius communitatis rogaret quatenus ecclesiae nostrae consecrandae vellet esse patrinus; quod lubenter acceptavit, missa ad conventum satis ampla eleemosina. Deinde dominus Aymericus episcopus pro hac solemni dedicatione convocandos curavit per priorem de Chalar (1) dominos abbates Sancti Martialis et Sancti Martini (2), canonicos etiam ecclesiae cathedralis Sancti Stephani, cum priore Sancti Geraldi et capellano Drulliensi (3); quibus libentissime annuentibus, dominus episcopus feria sexta venit de Insulae castro cum armatis militibus, quos conduxerant fratres nostri propter Anglos qui tunc provinciam bellis et caedibus infestabant; moratusque est in conventu per quinque aut sex dies. Instante autem die praedefinita dedicationis nostrae ecclesiae, dominus episcopus in primis vesperis sacris indutus vestibus et stipatus praelatis ad hoc invitatis, reliquias omnes de ecclesia extrahens, illas ad capellam Sanctorum Joannis Baptistae et [Joannis] evangelistae, detulit inde in crastino diei sequentis quae erat dominica. Ad solis ortum incoepit solemniter officium dedicationis ; circuivit enim ad extra ecclesiam, ipsamque aqua lustrali aspersit; quo peracto, reliquias omnes quas in capella praedicta collocarat, in ecclesiam reportavit. Inde ad missam celebrandam properavit, quae cum multo jubilo tum a cantoribus Sancti Stephani et [Sancti] Martialis, tum a nostris decantata fuit. Consecrata est igitur ecclesia nostra in honorem Domini nostri Jesu Christi, Beatae Virginis Mariae et vivificae Crucis, a domino Aymerico, episcopo, qui etiam suae erga nos benevolentiae majora dare volens indicia, dedit indulgentiam quadraginta dierum tam pro die consecrationis quam pro octavis perpetuis futuris temporibus. Insuper dedit casulam pulcherrimam violacei coloris; altare etiam in honorem beati Dominici consecravit. Conventus autem volens aliquod grati animi monimentum illi dare, promisit se ejus anniversarium quotannis post mortem ejus facturum; quod facere incoepit anno sequenti, quo praedictus dominus episcopus obiit.

(1) Le Chalard (Haute-Vienne).
(2) Saint-Martial et Saint-Martin, deux abbayes de Limoges.
(3) La Drouille, prieuré situé non loin de l'abbaye de Grandmont (Haute-Vienne), au nord de Limoges.

X. — De quibusdam reliquiis in ecclesia nostra repositis.

Venerabilis P. Bernardus Guidonis, episcopus Lodovensis, in manuscripto ubi agit de sanctis diocesis Lemovicensis, ita scribit : « Sanctus Martinus confessor qui fuit capellanus Caroli apud Sanctum Praejectum prope Axiam (1) in Domino requiescit, cujus sacrum caput habent fratres Praedicatores Lemovicis, cujus partem quidam furtive abstulit; et cum apud quandam matronam deposuisset pro eo quod minus reverenter illud tractaret, terruit eam per somnia et per visiones horribiles, nec cessavit sanctus confessor quousque caput suum reportari fecit. Hic quoque sanctus vindictam in homines castri Lemovicensis qui ecclesiam ejus invaserant et violaverant, dum sacerdos celebraret divina, in eodem die exercuit; nam interfecti sunt ab inimicis suis de Axia plus quam triginta (2). »

Idem beatus Guidonis ibidem ait : « Sancta Justina et sancta Rufina virgines et martires apud Fursacum secus flumen Gartampae quiescunt, quae apud Hispalim civitatem Hispaniae martirisatae leguntur. Radulphus miles quidam cachinnando nomen Rufinae, lepori eam assimilavit, cujus equum mox in stabulo ignis absumpsit, coeteris illaesis relictis. Istarum virginum costas et brachia habent fratres Praedicatores Lemovicae. Festum earum agitur die XIIII augusti (3). » Haec Bernardus Guidonis. Quantum ad dictas reliquias, capitis scilicet sancti Martini et costas sanctarum Rufinae et Justinae, conventus fuit sine dubio eis spoliatus : non enim dignoscuntur defectu schedularum.

XI. — De aliquibus capitulis tam provincialibus quam generalibus in conventu Lemovicensi celebratis.

Primum capitulum provinciale fuit hic in antiquo conventu, nempe ultra fluvium Vigennae, celebratum, in ipsis, ut ita dicam, ordinis cunabulis. Secundum etiam capitulum provinciale fuit in antiquo conventu ultra pontem etiam celebratum, anno Domini millesimo CCXX[X]IIII, cui praefuit frater Romaeus natione Catalaunus, quintus prior provincialis (4).

(1) Saint-Priest-sous-Aixe (Haute-Vienne).

(2) *XIII° ydus Augusti.* Ms. 450 de Toulouse, fol. 244 *b*. Exempl. original.

(3) *Anno Domini M.CCLXXIII.* Ms. 450 de Toulouse, fol. 242 *b*.

(4) B. Gui, qui a fait la collection des *Actes* des chapitres provinciaux de la première province de Provence, passe sous silence ces deux chapitres. — Voy. sur Fr. Romée, Quétif et Echard, *Script. ordin. Praed*, I, 161 ; R. P. Cormier, *Le bienheureux Romée de Livia.* In-8°, Toulouse, Privat. 1884.

Item, anno Domini millesimo CCXLI°, in Nativitate Beatae Virginis Mariae celebratum fuit aliud capitulum provinciale in hoc conventu sub P. fratre Pontio de Lesparra Burdegalensi, sexto priore provinciali; et tunc facta est mutatio fratrum de antiquo in novum conventum.

Anno Domini millesimo CCLIII, in festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis, transactis jam duodecim annis a mutatione fratrum de loco antiquo ad novum, celebratum est iterum apud Lemovicam provinciale capitulum sub ven. P. fratre Gerardo de Fracheto Lemovicensi et priore provinciali octavo. Paucis autem diebus ante capitulum translata sunt corpora : 1° domini Durandi, episcopi Lemovicensis, de capitulo ad medium chori ecclesiae; 2° domini Aymerici Palmut canonici, patroni nostri, et Guillelmi de Malmonte, etiam canonici Sancti Stephani, ad sepulcrum sibi paratum in muro ecclesiae juxta ostium quod vadit ad claustrum cum his versibus leonicis :

Nostri patroni sunt hic quorum Deus ossa
Sic voluit poni sub eadem condita fossa.
Noster ab hoc emitur locus, alterius fabricatur
Nummis ecclesia. Reddat sibi virgo Maria.

Et consequenter in lapide sunt haec verba.

Anno Domini MCCCXLI°, pridie nonas septembris (1), obiit dominus Aymericus Palmut, canonicus Dauratensis, et hujus loci emptor.

Anno Domini MCCXLIII°, pridie nonas aprilis (2), obiit dominus Guilelmus de Malmont, quondam archidiaconus Lemovicensis. Quorum animae requiescant in pace. Amen.

Juxta sepulcrum patroni nostri est aliud vili coopertum lapide. Magnum autem thesaurum continet, nempe corpora duodecim fratrum qni in antiquo conventu ultra Vigennae pontem obierant, et in unum collecta in praedicto tumulo fuere reposita cum hoc epitaphio :

Quamvis exiguo tumulo fratres duodeni
Sunt in contiguo, fama virtuteque pleni.

XII. — Sequitur series capitulorum Lemovicae celebratorum.

Anno Domini MCCLXXVI°, celebratum fuit capitulum provinciale in isto conventu in Nativitatae Beatae Virginis Mariae; et tunc

(1) 4 septembre.
(2) 4 avril.

fuit electus in provincialem frater Bernardus Gerardi de Monte albano. Hic fuit undecimus provincialis (1).

Item, anno M CCC V°, celebratum fuit Lemovicae capitulum provinciale, sicut et aliud etiam, anno M CCC XXXIV°, sub ven. Hugone Campano, Magistro ordinis; sub quo etiam anno, capitulum generale Lemovicis fuit celebratum. In quo inter alia fuit ordinatum ut post quamlibet horam divini officii, cum non continuatur hora vel missa, dicto *Fidelium animae*, etc., dicatur flexis genibus antiphona Beatae Virginis Mariae, singularis ordinis et hujus conventus patronae, ut habetur in glossa *Constitutionum*, cap. *de Officio ecclesiæ*, text. 2° (2).

Aliud etiam capitulum generale fuit hic celebratum anno Domini M. CCCIC°; sed quia frater Joannes de Podionucis factus fuerat generalis tempore schismatis inter Bonifacium 9um et Benedictum 13um, ideo merito inter generales ordinis non computatur, sicut nec capitulorum generalium Acta sub ipso celebrata vim aliquam in ordine habere dignoscuntur.

XIII. — De sepulturis insignibus conventus Lemovicensis.

1. [*De fratre Petro de Sancto Asterio, episcopo Petragoricensi*].

Multae sunt insignes sepulturae in hoc conventu personarum utriusque sexus, quae tum pietate et eruditione, tum ecclesiastica dignitate, tum nobilitate claruerunt. Horum praeclarum agmen ducet illustrissimus simul et piissimus Petrus de Sancto Asterio qui, relicto episcopatu Petragoricensi, factus est religiosus hujus conventus; in cujus memoriam appensa est tabella in choro continens haec verba :

> Frater Petrus de Sancto Asterio, episcopus Petragoricensis, summa scientia et eloquentia praeditus, magnus ac solemnis vir utique pius ac devotus, filius domini de Insula prope Petragoras, venit ad hunc conventum fratrum Praedicatorum Lemovicensium prima die maii anni M CC LXVI[1]; et in habitu epis-

(1) Les *Actes* des chapitres provinciaux de 1241, de 1253 et de 1276 tenus à Limoges, paraîtront dans un volume sous presse.

(2) Le chapitre provincial se tint encore à Limoges en 1327 et en 1334. Bibl. de la ville de Toulouse, ms. 490. Cf. fol 392, 452, 471 B. Douais, *les frères Prêcheurs en Gascogne*, 356. Voy. les Actes du chap. général de 1334, dans ms. 489, fol 165, de la Bibl. de Toulouse.

copali mansit ibidem per annum. Tandem maxima cum difficultate precibus importunis cessionem sui episcopatus obtinuit a domino Clemente 4°, dignitate episcopali in omnibus et per omnia reservata, quam cessionem non potuerat obtinere a tribus summis pontificibus Gregorio nono, Innocentio 4° et Alexandro 4°. Post paucos dies a dicta cessione obtenta, habitum ordinis reverenter accepit, et honorabiliter in eo Deo et ordini militavit annis octo et mensibus quatuor cum dimidio. Fecit multa bona conventui tam in ornamentis ecclesiae quam in libris et aedificiis; fecitque aedificare domum de Balaleon. Obiit autem pridie idus julii, anno Domini M CC LXXV°; et est sepultus in ecclesia hujus conventus in medio chori.

Memorandum quod anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo, R. P. F. Petro Ranquet inquisitore Carcassonensi (1), vicario generali congregationis Sancti Ludovici, visitante hunc conventum Lemovicensem, apertus fuit, ipso et fratribus praesentibus, locus in medio chori ubi dicebatur sepultus ven. frater Petrus de Sancto Asterio; revolutisque lapidibus, repertum fuit corpus beati episcopi nondum omnino consumptum, licet in calce sepultum, cum casula, mitra, baculo et annulo pastorali, et aliis pontificalibus ornamentis, quae erant supralanea indumenta ordinis; quod mirum sine dubio videri debet post trecentos viginti et tres annos. Unde fratres acceperunt sibi partes vestimentorum pro reliquiis, alias vero partes reliquiarum reposuerunt in sacristia in arca depositi. Plura de eodem ven. fr. Petro reperiri possent in ecclesia cathedrali Petragoricensi suae quondam sedis, ubi dicitur haberi pro sancto.

2. *De illustrissimo ac venerabili fr. Bernardo Guidonis.*

Non longe a tumulo fr. Petri de Sancto Asterio, nempe ad sinistrum latus altaris majoris videtur sepulcrum ven. fratris Bernardi Guidonis, filii hujus conventus Lemovicensis et episcopi Lodovensis, qui ex nobili prosapia in solo Lemovicensi ortus juxta sui nominis proprietatem tanquam nardus odorifera vitae pariter sanctitate ac doctrina odorem suavissimum Deo et hominibus sparsit. Fuit siquidem vir magni consilii, magnae experientiae et magnae probitatis et religionis, denique omnium virtutum jubar splendidis-

(1) A la marge, d'une autre main : *Anno 1650 provincia nostra regebatur per provincialem.*

simum. Qui ex lectore theologiae in conventu Albiensi factus est prior in multis conventibus, nempe Albiensi, Castrensi, Carcassonensi et Lemovicensi; deinde inquisitoris Tholosani et procuratoris ordinis in Curia Romana officio sublimatus fuit; quo tempore a Joanne 22° papa missus est legatus in Italiam, Galliam et Belgium ad odia extinguenda et pacem inter principes et civitates promovendam. Cumque praedictis officiis et legationibus digne et laudabiliter functus esset, ab eodem Joanne XXII° pontifice primo ad episcopatum Tudensem in regno Gallaeciae, deinde ad Lodovensem in provincia Narbonensi evectus est. Fuit vir in verbo et scripto multa facundia praeditus et in his quae ad religionem propagandam et labis haereticae exterminium pertinent apprime eruditus. Plures libros composuit, unum de Actis capitulorum generalium jussu ven. fr. Aymerici, Magistri ordinis, cum tractatu de votis et de quatuor quibus Deus ordinem fratrum Praedicatorum insignivit, in quo cuncti fratres nostri nosse poterunt ordinis praedicti primordia et progressus; librum etiam de Praxi officii Inquisitionis (1), Chronologiam insuper de Romanis Pontificibus, Imperatoribus ac Regibus Galliae ab incarnatione Domini usque ad sua tempora; Vitas quoque sanctorum ad instantiam ven. fratris Berengarii, Magistri ordinis, compilavit et novis lucubrationibus auxit. Licet autem talis ac tantus esset, attamen ita humilis ac erga ordinem bene affectus fuit ut Avenione existens episcopus, cum multa devotione ac humilitate renovavit professionem suam coram ven. fratre Barnaba, Magistro ordinis; positisque manibus suis inter manus praedicti Magistri ordinis, dixerit distincte haec verba : « Ego frater Bernardus Guidonis episcopus Lodovensis facio professionem », etc. Tantae porro puritatis ac innocentiae erat, ut frater Petrus Sicardi qui ejus confessiones per viginti fere annos audiverat, asseret se paratum jurare quod nunquam deprehendisset in ejus confessione culpam lethalem. Miraculis vivus et mortuus claruit. Frater enim Arnaldus Borgueti, inquisitor Barcinonensis et provincialis Aragoniae, asserebat se a ven. P. Bernardo a gravi infirmitate Avenione fuisse liberatum. Cum enim de ejus vitae sanctitate et meritis confisus supplicasset ut ei in mortis periculo subveniret, statim venerabilis episcopus ut vidit fidem illius : « In nomine », inquit, « Dei praecipio somno ut redeat ad oculos inquisitoris Barcinonensis, et quod discedat ab eo omnis aegritudo inquietans ». Et ecce ad verbum viri Dei repente ab omni infirmitate praedictus Inquisitor liberatus est. Hujus miraculi rumor in conventu Avenionensi praebuit occasionem alteri prodigio. Nam frater Guilelmus de Gardaga, qui eodem loco

(1) In-4°, Paris, Picard, 1886.

et tempore dissenteriae morbo laborabat, audita miraculosa sanatione inquisitoris Barcinonensis, petiit etiam a venerabili episcopo Bernardo ipsum visitante, ut ipsum etiam sanare dignaretur. Quod cum venerabilis Guidonis ob humilitatem facere recusaret, attamen motus continuis infirmi precibus, imperavit morbo ut a tali die, nempe festo beati Dominici, patris nostri, non eum amplius gravaret; quod et factum est, sicut solitus erat referre praedictus frater de Gardaga. Haec duo signa adeo fuere notoria in conventu Avenionensi ut frater Petrus Bernardi, tunc baccalaureus Sacri Palatii et postea Bayonensis episcopus, jocose diceret, praesente venerabili Guidonis, quod frustra ordo fratrum Praedicatorum laborabat pro canonizatione sanctorum mortuorum cum posset canonizare sanctum vivum. Hic tandem venerabilis episcopus pontificatus sui anno octavo, post multa virtutum opera tum in ordine tum in episcopatu praeclare gesta, in morbum incidit; susceptisque devote ecclesiae sacramentis et plenaria indulgentia peccatorum a Joanne XXII° sibi concessa, die XXX[a] decembris foeliciter migravit ad Dominum in castro de Laurosio diocesis Lodovensis, anno Domini M. CC. XXXI°, aetatis vero suae anno LXXI°. Corpus ejus inde Lemovicas delatum in ecclesia conventus fratrum Praedicatorum conditum est, sicut ipse ordinaverat.

Notandum quod post obitum ipsius, cum frater Thomas Narmanni, prior conventus Lemovicensis, in ecclesia post matutinas preces oraret, vidit subito ingentem ac splendidam lucem quasi de sede priorali usque ad sanctuarium procedentem; quod cum admiraretur ignorans quid portenderet, tandem facto mane venit nuntius asserens episcopum Lodovensem e vivis migrasse, ejusque corpus in conventum Lemovicensem deferri tumulandum. Tunc intellexit praefatus prior lucem illam splendidam significare venerabilem episcopum, qui vita et doctrina ecclesiam et ordinem illustrarat, et quod non sine causa lux illa quam viderat a sede priorali versus sanctuarium procedebat, quia ipse aliquando prior extiterat; nunc vero in sanctuario corpus ejus beatam resurrectionem expectare debebat. Plura de hoc venerabili episcopo referunt dominus Plantavitius, episcopus Lodovensis, et Joan. Bandellus, officialis Lemovicensis (1).

3. *De illustri ac venerabili fr. Bernardo Bruni.*

In dextro latere sanctuarii videtur effigies episcopi insculpta in

(1) Voy. l'énoncé des nombreux travaux consacrés à B. Gui dans mon opuscule : *Un nouveau manuscrit de B. Gui*, p. 1, note 1. — Sur le chanoine Jean Bandel mort en 1639, voy. A. Leroux, *Etude critique sur les Annales françaises de Limoges* dans les *Annales du Midi*, 1890, p. 16.

lapide. Hic fuit illustrissimus Bernardus Bruni, filius hujus conventus Lemovicensis, qui ob praeclares dotes evectus est ad episcopatum Conseranensem (1), quique moriens inter fratres voluit sepeliri; quibus reliquit Graduale et plures alios libros. Obiit XIII kal. decembris (2) circa annum M CCCC.

4. *De venerabili fratre Martiali Boyol.*

In inferiori parte ecclesiae videtur effigies religiosi ordinis cum hac inscriptione :

HIC JACET VEN. FRATER MARTIALIS BOYOL, OLIM CANONICUS ET OFFICIALIS LEMOVICENSIS, QUI TANDEM IN HABITU ET PROFESSIONE FRATRUM PRAEDICATORUM ANNIS PLENUS, OBIIT ANNO DOMINI M. CCC. LXXXXVII°, DIE XIXª JULII.

Notandum quod cum ejus tumulum fratres nostri vellent aperire, anno Domini M. DC. XXIII°, ad sepeliendum dominum Petrum Boyol ejusdem familiae, necnon ejusdem ecclesiae canonicum et officialem, repererunt praedictum ven. fratrem Martialem totum fere incorruptum, vestibus ordinis indutum, suavissimumque odorem exhalantem post centum et viginti sex annos ab inhumatione sua. Quapropter in alio tumulo corpus domini Petri Boyol fuit repositum. Cernitur iste venerabilis frater Martialis in habitu ordinis in lamina aenea, oblatus Beatae Virgini puerum Jesum in ulnis tenenti per B. Stephanum, cum hoc epitaphio :

Illis sub saxis recubat tam nobile corpus
  Martialis Boyol qui modo summa tenet.
Canonicus fuit officialis Lemovicensis
  Et burgi pastor, qui bene fovit oves.
Orbis tanta bona dimisit; Praedicatorum
  Tandem vita pia jam sibi grata fuit.
Mille quingentis hinc demptis ac tribus annis,
  Luce petit clara superos julii decima nona.
Quaeso, Jesu bone, cum superis sit in aethere tecum,
  Deprecor ut redeat spiritus ad Dominum. Amen.

5. *De tumulo domini Dupeirat canonici*

Sepultus est in claustro conventus nostri Lemovicensis dominus Petrus Dupeirat, canonicus ecclesiae cathedralis Sancti Stephani,

(1) Il ne figure pas sur la liste des évêqnes de Couserans.
(2) 18 novembre.

qui fuit insignis benefactor conventus, cujus epitaphium in lamina aenea exaratum sic legitur :

De Peirato corpus tumulo jacet isto :
Spiritus in coelo sit propitio sibi Christo.
Dudum canonicus fuit ecclesiae cathedralis,
Nobis munificus et amicus specialis.
Sanctum Dominicum sibi sentiat auxiliari,
Ut mereatur eo duce sanctis associari.
Anno Domini M. CC. LI.

6. *De epitaphio Elisabeth de Ventodorio.*

In muro portae claustri cernitur in lamina aenea episcopus indutus pontificalibus et officium sepulturae faciens pro femina, fratribus nostris stipatus. Haec fuit nobilis domina Elisabeth de Ventodorio (1), quae obiit anno Domini M. CC. LXXVIII°, nonis octobris ; ad cujus sepulcrum hi versus leguntur :

Clausa jacet tumulo generosa sub hoc Isabelis,
Virtutum titulo rutilans vitiisque rebellis ;
Haec fratrum manibus hic nostrorum tumulata,
Illorum precibus ponatur in arce beata (2).

7. *De sepulcris comitum de Quadris.*

In sanctuario est sepulcrum concavum illustris et antiquae domus de Quadris, gallice Descars (3), in quo quiescunt ossa antiquorum hujus familiae dynastarum, et inter alios nobilis ac generosus comes Carolus Descars, qui obiit anno Domini M. DC. XXIII°, die quinta augusti. Hic et ejus antecessores fuerunt insignes benefactores et reparatores conventus Lemovicensis, et inter coeteros eminentissimus simul et piissimus Annas d'Escars cardinalis de Giuri (4), episcopus Metensis, qui dedit conventui Lemovicensi prioratum Nostrae Dominae de Beinaco (5) ; cujus effigies videtur in fenestra vitrea capellae comitum de Quadris, cum insigniis familiae, quae in multis locis conventus insculpta cernuntur.

(1) Ventadour (Corrèze).

(2) Fondations d'anniversaires par Isabelle de Ventadour, 1277. (Archives de la Haute-Vienne, fonds des Jacobins, n° 4406).

(3) Les Cars (Haute-Vienne).

(4) Anne des Cars de Givry. évêque de Lisieux (1585-1598) et de Metz (1608-1612), prêtre card. de Sainte-Susanne (1596) ; mort en 1612.

(5) L'acte de prise de possession du prieuré de Beynac se trouve aux Arch. de la Haute-Garonne. H, Dominicains étrangers, Limoges.

8. *De insigniis et sepulturis quorundam nobilium.*

In clavi fornicis capituli videntur insignia nobilis domus de Pompadour (1), videlicet turres sculptae in lapide, in signum sine dubio quod dynastae hujus domus constructioni vel saltem reparationi dicti capituli de suis opibus plurimum contulerunt.

In sacristia etiam sub grandi lapide est sepultura baronum de Monterocherio cum insigniis familiae, scilicet bove circundante pedibus et cauda aves.

In sanctuario similiter, in dextro latere, videntur insignia nobilis domus de La Tour, nempe tres turres cum tribus liliis Borbonicis.

Sunt et aliae plures sepulturae tum fratrum, tum canonicorum, tum nobilium, quae nimis esset longum recensere. Haec pro nunc sufficiant.

XIV. — Nomina fratrum qui in conventu Lemovicensi floruerunt ab anno MCCXX° usque ad presentem 1693um.

(Ex manuscripto ven. P. Bernardi Guidonis partim desumentur).

1. [*De venerabili fratre P. Cellani*].

Conventus Lemovicensis tanta copia virorum illustrium in omni genere gaudet ut pace (*sic*) aliorum ordinis conventuum dixerim, vix alium reperire licebit in quo plures inveniantur fratres sanctitate conspicui. Testes sunt hujus veritatis venerabiles fratres Bernardus Guidonis et Stephanus de Salanaco, primi scriptores ordinis, qui in primo saeculo ordinis fere ducentos fratres enumerant qui foelicissime et sancte obierant in praedicto conventu. Horum omnium nomina brevitatis causa non recensebo, sed tantum praecipuorum. Quorum omnium agmen ducet fundator et primus prior conventus Lemovicensis venerabilis P. F. Petrus Cellani, qui post beatum Dominicum fuit primus frater ordinis fratrum Praedicatorum, quique primus ordinem in suo recepit hospitio Tholosae. Hunc beatus Pater Dominicus post obitum gloriosi principis de Montfort (2), destinavit et misit Parisiis Lemovicas, ut ibi locum conventus acciperet. Sed cum ignorantiam et librorum penuriam allegaret; « Vade », inquit, « fili, et confidenter vade ; omni die bis habebo te coram Deo ; et ne dubites, multos acquires Deo et afferes multum fructum ; cresces et multiplicaberis, et Dominus erit

(1) Pompadour (Corrèze).
(2) Simon de Montfort mort en 1218.

tecum. » Et sicut ipse postmodum familiaribus suis saepius enarravit, cum intus vel extra angustia arctabatur, invocabat beatum Dominicum, reducens in memoriam promissum suum; et omnia prospere succebebant ei. Veniens igitur Parisiis Lemovicas anno Domini MCCXIX° circa quadragesimam, ab episcopo Lemovicensi benigne acceptus, locum ad habitandum recepit, ut supra fuse dictum est; induitque habitu ordinis multos fratres qui candore famae et bonae vitae ostenderunt jure merito fratres conventus Lemovicensis fuisse adumbratos per processionem pulcherrimam dealbatorum, quam quidem vir devotus bis in somnis viderat in loco ubi nunc conventus est aedificatus. Tandem postquam conventum Lemovicensem tredecim annis sanctissime rexisset et in magna reverentia apud clerum et populum sicut unus de prophetis antiquis fuisset, circa finem vitae Tholosam rediit, ubi primus inquisitor cum fratre Guilelmo Arnaldi factus est; quo officio per plures annos laudabiliter functus, migravit ad Dominum, octavo kalendas martii (1), anno M CC LVII°; sepultusque est in conventu Tholosano.

2. *De venerabili fratre Gerardo de Francheto.*

Secundus prior Lemovicensis qui successit venerabili P. Petro Cellani fuit venerabilis P. Gerardus de Francheto Lemovicensis dioecesis oriundus de Castro Luceti (2); vir gratiosus et dilectus Deo et hominibus, praedicatorque facundus; hic duodecim annis conventui praefuit; quo tempore locum ultra Vigennae pontem dimisit ob varia ejus incommoda, secundum vero locum in quo nunc habitamus emit. Sed cum non haberet unde solveret, Beata Virgo Maria mota fratrum assiduis praecibus canonicum Dauratensem suscitavit qui pecuniam pro emptione loci persolvit, ut supra diximus. Hic venerabilis vir ex priore Massiliensi factus est prior provincialis octavus, rexitque provinciam in pace et aequitate annis octo; quo tempore ad instantiam venerabilis fratris Humberti de Romanis, Magistri ordinis, librum qui inscribitur Vitae fratrum composuit (3). Hujus memoria cum laudibus multis in ore viventium vivit. Ipse vero in senectute bona migravit ad Dominum in conventu Lemovicensi, in festo beati Francisci, anno Domini MCCLXXI°; sepultusque est in claustro prope ostium ecclesiae, ubi hi versus leguntur :

(1) 22 février.

(2) Voy ci-dessus, p. 268,

(3) Le R. P. Cormier en a donné une édition lithographiée, sous le titre : *Vitae fratrum ordinis Praedicatorum, in quibus quamplurima exempla et monumenta antiquae virtutis, quais ordo initio maxime floruit, recensentur.* In 4°. Marseille, 1875, 256 pages. Épuisé.

Frater Gerarde de Francheto pie valde,
Tertius hic a te capitur locus immediate.
Ordo, genus, vita, discretio, lingua polita,
Fama, pudor, pietas te laudant, pax, amor, aetas.

3. *De venerabili fratre Hugone de Malamorte.*

Tertius prior Lemovicensis fuit frater Hugo de Malamorte (1), dioecesis Lemovicensis, nobilis genere, sed nobilior animi virtute, qui quinque annis hunc conventum gubernavit, deinde factus est prior Burdegalensis ; quo tempore tantam de se excitavit opinionem ut a majori parte capituli ecclesiae cathedralis in archiepiscopum Burdegalensem fuerit electus ; quam dignitatem tamen constanti animo recusavit. Fuit vir magni rigoris et bonae discretionis. Obiit plenus dierum in conventu Lemovicensi, anno Domini M CC LXIII°, die quarta januarii.

4. *De venerabili fratre Stephano de Salanacho.*

Quartus prior Lemovicensis fuit venerabilis frater Stephanus de Salanacho (2) a burgo suae originis sic cognominatus in Lemovicensi dioecesi, e manibus venerabilis P. Petri Cellani habitum ordinis suscepit circa annum M CC XXX^um^; expletoque probationis anno et professione emissa, verbum Dei maximo cum auditorum fructu disseminare coepit. Plurimos namque haereticos albigenses convertit ad veram fidem ; peccatores etiam multos ad meliorem frugem reduxit, nec mirum cum de eo dici potest quod Gregorius de sancto Basilio, quod sermo ejus erat tonitru, quia vita illius erat fulgur ; vivum enim erat exemplar sancti Patris sui Dominici. Nullus eo erat humilior, nullus continentior, sanctae paupertatis adeo erat studiosus ; et venerabilis frater Bern. Guidonis asse[ve]rat se post ejus obitum invenisse scriptum quod venerabilis frater Stephanus rogabat enixe Magistrum ordinis ut peteret a summo pontifice quatenus juberet ut ab oratione beati Patris nostri Dominici tollerentur haec verba : *temporalibus non destituatur auxiliis*, « quia », inquiebat, « in oratione beati Francisci petimus terrena despicere, in oratione vero beati Patris Dominici petimus dari, quod utique incongruum videtur religiosis qui voto solemni bonis temporalibus renuntiaverunt ». In capitulo generali Mediolani (3) celebrato, ob suam

(1) Malemort (Corrèze).
(2) Le Grand Bourg de Salagnac (Creuse).
(3) En 1250. D. Martène, *Thesaurus*, IV, 1704.

Christiferam venerans, sic clamans magnificavit
Quod verbum superans devotio debilitavit;
Rapta fuit mens, flens siluit vox, praeco Mariae
Dum docuit, tunc occubuit lux arca sophiae.

Nomina aliorum priorum conventus Lemovicensis quos venerabilis P. B. Guidonis refert hic annotare necessarium esse minime puto, cum de ipsis nihil fere speciale aut notatu dignum putat. Hoc unum referam quod, anno MCCCVI°, tempore quo idem frater B. Guidonis, episcopus Lodovensis, de quo supra mentionem fecimus, prioris munere in conventu Lemovicensi fungebatur, dominus papa Clemens quintus cum octo cardinalibus venit Lemovicam et ad domum et conventum fratrum Praedicatorum declinavit, in eoque hospitari ac manere voluit; quo tempore concessit priori conventus Lemovicensis quod confessor quem sibi eligeret vel quem pro fratribus deputaret tantam haberet potestatem absolvendi et dispensandi ab omnibus culpis et poenis temporalibus quam ipse papa habebat, et hoc pro una vice tantum.

Venerabilis P. Bern. Guidonis post recensitos priores conventus Lemovicensis usque ad annum MCCCXII referre incipit nomina fratrum qui in praedicto conventu foelicissime obierant (1). Sed quia prolixior esset eorum omnium narratio nominum quorum fundamentum maximum habemus quod sint scripta in libro vitae, maxime cum in primo saeculo ordinis obierint, in quo fratres fere omnes ad summum perfectionis et sanctitatis apicem perveniebant per vitae austeritatem, morum innocentiam, praedicationis fervorem, lucrum animarum, ac denique vitae regularis perpetuum tenorem et observantiam. Quapropter venerabilis frater Stephanus de Salanaco de illis loquens haec habet : « Ordo Praedicatorum habuit ab initio (*supple* fratres) qui ad justitiam erudientes multos luxerunt in firmamento ecclesiae et diversas mundi partes illustraverunt verbis pariter et exemplis, sicut stellae in perpetuas aeternitates, ad quod lucide cognoscendum unum subnecto exemplum.

« Religiosus vir domnus Geraldus de Cardalaco, prior tunc, sed postmodum abbas Obazinae (2) Cisterciensis ordinis in Lemovicensi dioecesi, audiverat ortum esse et a summo pontifice confirmatum ordinem fratrum Praedicatorum ; nullum autem fratrem dicti ordinis adhuc viderat. Quadam igitur die cum dormiret post meridiem, ut moris est apud Cistercienses, videbat in visione duos soles ingredientes subito claustrum monasterii, illumque cum vicinis locis

(1) Ces noms ne se trouvent pas dans les mss. connus.
(2) Obasine ou Aubasine (Corrèze).

luce sua irradiantes. Evigilans autem praedictus domnus prior visionemque in animo versans cum admiratione, descendit e dormitorio, invenitque duos fratres ordinis Praedicatorum conventus Lemovicensis, nempe fratrem Bernardum Alvernum, suppriorem Lemovicensem, et fratrem Joannem Balistarii, ejusdem conventus alumnum, qui ambo erant eximii divini verbi praecones; statimque in spiritu didicit istos esse duos soles quos in visione viderat. Quapropter summo affectu deinceps ordinem prosequutus est. »

13. *De venerabili fratre Joanne Balistario.*

Iste venerabilis frater Joannes Balistarius, quem ad instar solis radiantem prior Cisterciensis conspexit, ut dictum est, filius fuit urbis et conventus Lemovicensis, quem Deus tanta replevit facundia in concionando, ut clero pariter et populo esset mirum in modum acceptus, uberesque fructus pro conversione peccatorum et salute animarum ex praedicatione sua reportaret. Postquam autem velut sol mundum divini verbi luce illuminasset, in terris et in conventu Lemovicensi occumbens, octavo idus julii radiaturus obiit in firmamentum coeli, circa annum MCCLX^um^ (1). Ejus sermones tanquam pretiosa monilia olim servabantur in arca conventus ; nunc vero lapsu temporum periere.

14. *De venerabili fratre Radulpho de Quadris.*

Frater Radulphus de Quadris (2) ex illustrissima forte comitum de Quadris, insignium benefactorum conventus Lemovicensis, oriundus prosapia, magis tamen elegit abjectus esse in domo Dei in conventu Lemovicensi, quam magnus in saeculo. Postquam autem ut bonus et fructuosus praedicator vineam Domini, nempe ecclesiam, excoluisset, amplam a patrefamilias accepit mercedem, denarium nempe beatitudinis, undecimo kalendas septembris (3), circa annum Domini MCCL^um^.

15. *De venerabili fratre Petro de Riperia.*

Eandem mercedem venerabilis frater Petrus de Riperia cum prae-

(1) Le 8 juillet d'après Quétif et Echard, *Script. ord. Praed.*, I, 160. La notice qu'ils lui ont consacrée ressemble beaucoup à celle-ci. Etienne de Salanhac, B. Gui et Malvenda, *Annal.*, ad an. 1217, n. 9, l'ont successivement loué comme prédicateur.

(2) Les Cars (Haute-Vienne).

(3) 22 août.

dicto fratre Radulpho accepit, qui eodem modo in vinea Domini laboravit. Fuit enim, Guidonio teste, vir sanctus, sacerdos et praedicator; et ut talis II° idus februarii (1) ad aeternam sanctorum mansionem evocatus est, circa annum MCCL^{um}.

16. *De venerabili fratre Guidone de Monpreset.*

Frater Guido de Monpreset sacerdos ab infantia Deo devotus intrare meruit in gaudium Domini sui, laborum diuturnorum praemia percepturus, anno Domini MCCLXIII°, tertio idus januarii (2), qui etiam ob eximias virtutes specialem habet inscriptionem lingua vulgari exaratam in una columnarum capituli ex parte claustri.

17. *De venerabili fratre Rogerio de Ageduno.*

Frater Rogerius de Ageduno (3) specialem inscriptionem meruit super tumulum, ob insignem pietatem. « Fuit enim », inquit Guidonis, « vir sanctus, sacerdos et praedicator et ultra modum officiosus, qui quarto idus augusti (4), anno MCCLXVI°, ex hac misera vita ad beatam transiit. »

Eandem gratiam eodem vel sequenti anno a Domino consecutus est venerabilis frater Stephanus Coralli sacerdos, litteratus ac bonus, sexto idus augusti (5).

18. *De venerabili fratre Petro Geraldi de Francheto.*

Frater Petrus Geraldi de Francheto qui fuit pater secundum carnem venerabilis P. Geraldi de Francheto, secundi prioris conventus Lemovicensis, quique ex strenuo milite factus est frater devotus, postquam Domino soli militasset ac de salutis nostrae hostibus gloriose triumphasset, coronam regni percepturus, migravit e vivis VIII° idus augusti (6), anno circiter MCCLXV°.

19. *De venerabili fratre Briccio de Peirato.*

Frater Briccius de Peirato (7) ex illustri familia adhuc etiam florente Lemovicis, oriundus, primus omnium sacri Praedicatorum ordi-

(1) 12 février.
(2) 11 janvier.
(3) Ahun, près Guéret (Creuse).
(4) 10 août.
(5) 8 août.
(6) 6 août.
(7) Peyrat-le-Château (Haute-Vienne).

nis habitum sumpsit in conventu Lemovicensi de manibus venerabilis P. Petri Cellani fundatoris, anno MCCXXI°, et cum eodem Parisius ad capitulum generale profectus est. Si ergo, ut aiunt philosophi, primum in unoquoque genere est causa caeterorum, quam gloriam et mercedem assecutum fuisse patrem istum credendum est, qui tot sanctis religiosis dux fuit ad viam salutis demonstrandam non solum prioritate sua in ordine fratrum Praedicatorum in conventu Lemovicensi, sed etiam in bono exemplo et sanctitate. « Fuit enim », inquit Guidonis, « vir sanctus et devotus, nec mirum cum ipse primitias spiritus qui sanctos efficit hauserit ; merito ergo illum credimus in coelo altius a terris sublimatum cum fundatore conventus Lemovicensis, quem in terris agnoscimus eorum primogenitum. Obiit autem octavo idus novembris (1), anno MCCLXVI° ».

20. [*De venerabili fratre Stephano Racaldi*].

Anno sequenti, XV. kal decembris, frater Stephanus Racaldi sacerdos, qui multos libros ecclesiasticos scripsit, nempe Missale, libros Evangeliorum et Epistolarum, etc., et per provinciam ad hoc faciendum discurrens correxit, indesinenterque usque ad finem vitae suae Deo et fratribus devote servivit, ad praemia laboribus suis debita accipienda evocatus est.

21. [*De venerabili fratre Petro Audierii*].

Frater Petrus Audierii sacerdos et praedicator, vir mansuetus et simplex, ad beatitudinem quam Christus pauperibus spiritu promisit, evolasse credendus est, XII. kal. junii (2), anno MCCLXVIII°.

22. *De venerabili P. Bernardo de Cella.*

Quanti apud Deum meriti fuerit venerabilis P. Bernardus de Cella dioecesis Lemovicensis, miracula quae facit optime testantur: de quo nihil aliud legimus nisi quod fuit praedicator fervidus et gratiosus, qui sine dudio fecit quod alios docuit, sicque talenta a Deo sibi tradita amplians, tantam gratiam a Domino suo obtinuit ut mortuus miraculis clareret, febrientes scilicet sanando. Obiit in conventu d'Arnet (3) ordinis canonicorum regularium Artigiae,

(1) 6 novembre.

(2) 21 mai.

(3) Cod. : *Darnet.* Auj Saint-Pardoux-d'Arnet (Creuse). L'Artige était un petit prieuré de chanoines, sis près Limoges, et qui se disait chef d'ordre. B. Gui a laissé un petit traité : *De fundacione ordinis Artigie in diocesi Lemovicensi.* Ms. de Toulouse 450, fol. 253 c.d, fol. 254a.

singularem prudentiam et in rebus gerendis solertiam, definitor electus est sicut et in Argentino (1), deinde in Scotiam et Angliam a R. P. Magistro generali visitator missus, ubique insignia suae pietatis et prudentiae monumenta reliquit. Electus deinde in priorem Tholosanum, expleto quadriennio, sui conventus Lemovicensis semel atque iterum habenas regendas suscepit; quo tempore venerabilem dominum Petrum de Sancto Asterio, episcopum Petragorensem, ordinis habitu induit. Unus fuit e primis scriptoribus ordinis; quae enim audiverat vel viderat de vita martirum, pontificum, cardinalium et aliorum virorum illustrium ordinis fratrum Praedicatorum, brevi tractatu et compendio complexus est. De eo venerabilis P. Guidonis haec habet : « Hic fuit vir religionis speculum aspicientibus, gratia praedicationis benedictus, prudentia et sapientia regiminis praeditus, facundia sermonis redimitus, experientia multa doctus, in his quae religionis sunt optime instructus et instruens, narrator gestorum illustrium et exemplorum notabilium gratiosus et copiosus tempore opportuno, morum ac gestus maturitate compositus, famosus et notus toti patriae. » Haec Guidonis, quibus nihil addendum superest. Denique hic venerabilis Stephanus plenus dierum et quasi sexagenarius fere in ordine, obiit Lemovicis, sexto idus januarii, anno Domini M.CC.XC°; sepultusque fuit in claustro, ante ingressum ecclesiae tertio loco.

5. *De venerabili fratre Helia Navarra.*

Quintus prior Lemovicensis fuit venerabilis frater Helias Navarra Lemovicensis dioecesis, de quo haec habet Guidonis : « Vir fuit devotus et sanctus, veneranda valde persona, fervens et gratiosus praedicator, in correctione rigidus et zelo salutis aliorum velut alter Helias succensus, vera religionis imago successit in prioratu Lemovicensi fratri Stephano de Salanaco, et praefuit anno uno. Fuit etiam supprior Tholosanus et prior Narbonensis, Carcassonensis et Figiacensis. Tandem in senectute bona obiit in conventu Brivensi, kalendis septembris, anno Domini M.CC.LXX°. »

6. *De venerabili fratre Geraldo de Sancto Valerico.*

Sextus prior conventus Lemovicensis fuit frater Geraldus de Sancto Valerico (2) Lemovicensis dioecesis, qui, ut ait Guidonis, « ex monacho Sancti Martialis factus est praedicator devotus et fructuosus, persona venerabilis, gratus, laetus et largus. Praefuit conventui

(1) En 1260. D. Martène, *Thesaurus*, IV, 1728.
(2) Saint-Vaulry (Creuse).

Lemovicensi annis quinque. Tandem in senectute bona in conventu Lemovicensi, in die Natalis Domini qua Christus natus est in mundo, natus est, ut pie creditur, ipse in coelo, illuscescente aurora diei illius sanctae. Post auditum enim officium missae matutinalis quae incipit : *Lux fulgebit hodie, etc.*, dixit sibi ministrantibus quod officium missae sequentis, scilicet *Puer natus est nobis, etc.*, auditurus erat cum angelis in coelo. Et paulo post ante missam majorem conventus, in Domino obdormivit, anno Dominicae incarnationis MCCLXXX°. Sepultus est in claustro in ingressu ecclesiae; et hoc habet epitaphium :

Hic situs est frater Geraldus de Sancto Valerico.
Subveniat mater Christi pietatis amico.
Gratus, amans, hylaris Christo florem juvenilis
Obtulit aetatis, susceptus in ordine gratis.
Sic ubi complevit annos ter in ordine quinos
Et decies trinos moriens in pace quievit.

7. *De venerabili fratre Nicolao de Monte Maurilii.*

Septimus prior conventus Lemovicensis fuit venerabilis frater Nicolaus de Monte Maurilii(1), sic cognominatus; erat tamen Lemovicensis dioecesis. Successit in prioratu Lemovicensi fratri Stephano de Salanaco ; fuitque modico tempore prior. Vir fuit suavis moribus et optime litteratus; per quindecim enim annos et amplius honorabiliter praefuit studio generali Montispessulani, Tolosae, Burdegalae et Lemovicae. Hic tandem lector existens canonicorum in sede cathedralis ecclesiae Narbonensis et actu legens sacras litteras coram positis auditoribus, suaviter in Domino obdormivit; sicque assumpsit eum Deus in officio in quo placuerat ei. Locus quem actualiter exponebat dum obiit erat hic versus Ecclesiast. 34 : *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, etc.*, quem primo de sapientia increata exponebat, secundo de natura humana a Christo assumpta et tertio de Virgine Beata. « Fuit vir », inquit Guidonis, « in ordine magnus opinione, nomine, religione et litteris. Fuit etiam magnae innocentiae et persona veneranda. Sepultus fuit in capitulo fratrum Narbonae, anno Domini MCCLXXIX°, feria sexta ante Ascentionem Domini. »

8. *De venerabili fratre Joanne de Chastancs.*

Octavus prior Lemovicensis fuit venerabilis frater Joannes de Chastancs Lemovicensis dioecesis. Successit fratri Nicolao de Monte

(1) Peut-être Montmoreau (Charente).

Maurilii, praefuitque annis tribus. Tempore hujus factum est pinaculum ecclesiae positaque sunt fundamenta et parietes elevati non modicum pro inferiori parte ecclesiae. « Hic fuit », inquit Guidonis, « devotus mente et laetus, praedicator promptus et copiosus, sedulus attractor ad Deum magnorum peccatorum, signanter praedonum et mimorum, pro quibus reducendis in viam justitiae et salutis libenter et fructuose laborabat. Prior fuit Sancti Aemiliani et Brivensis, et lector in conventibus multis. Tandem in senectute bona et canitie venerabili supprior Lemovicensis existens, foeliciter obiit ; et quiescit in claustro ante ingressum ecclesiae. Obiit autem tertio kal. aprilis, anno Domini MCCLXXXI°. »

9. *De venerabili fratre Petro de Mulceone.*

Nonus prior conventus Lemovicensis fuit venerabilis frater Petrus de Mulceone Lemovicensis dioecesis, qui successit fratri Joanni Chastancs pro prima vice. Fuit enim prior tribus vicibus Lemovicis. Hujus tempore consummatum fuit dormitorium antiquum ex parte ecclesiae, fueruntque factae camerae religiosorum de pecunia quam dedit dominus Petrus de Sancto Asterio, episcopus Petragoricensis memoratus. De praedicto fratre Petro de Mulceone haec habet Guidonis : « Fuit vir gratus et dilectus Deo et hominibus et famosus in tota patria, nobilis genere, nobilior humilitatis virtute, super miseros et abjectos pia gestans viscera. De prioratu Montispessulani ubi praefuit annis tribus cum fere dimidio, translatus est ad officium Inquisitionis Tholosanae quod exercuit annis tribus ; indeque electus est prior provincialis in capitulo Brivensi, in festo Assumptionis Beatae Mariae semper virginis. In quo officio existens, migravit ad Dominum in conventu Montalbanensi in festo beatae Marthae, anno Domini MCCVC°. Deinde translatum est corpus ejus ad conventum Brivensem post tres annos in capitulo provinciali Caturcensi. »

10. *De venerabili fratre Joanne de Nontronio.*

Decimus prior conventus Lemovicensis fuit frater Joannes de Nontronio Lemovicensis dioecesis, qui successit fratri Petro de Mulceone. « Fuit », inquit Guidonis, « vir bene religiosus et bonus ; plenus dierum obiit in conventu Lemovicensi, quarto kal. maii (1), anno Domini MCCLXXXII° ; sepultusque fuit in claustro. »

11. *De venerabili fratre Petro Copelli.*

Venerabilis frater Petrus Copelli fuit duodecimus prior conventus

(1) 28 avril.

Lemovicensis, cui bis praefuit. Oriundus erat de Valeria (1) in dioecesi Lemovicensi. Tantae fuit humilitatis, ut cum ex lectore Caturcensi electus esset in priorem Lemovicensem, ab hoc semel atque iterum absolvi procuraverit officio. « Vir enim erat », inquit Guidonis, « humilis et devotus, bene religiosus, dilectus Deo et fratribus, praédicator bonus. In flore suae virtutis et valoris obiit Lemovicis, decimo quinto kalendas augusti (2), anno Domini MCCIIC° ». Quiescit in claustro prope ostium ecclesiae in tumulo duodecim fratrum, qui ex primo conventu ubi obierant ultra pontem Vigennae, translati sunt in istum ubi nunc habitamus.

12. *De venerabili fratre Yterio de Comprenaco.*

Venerabilis frater Yterius de Comprenaco (3) a burgo suae originis sic cognominatus, qui situs est non longe a Lemovica, officium prioris in conventu Lemovicensi ter exercuit; compulsusque est ultima vice per sententiam excommunicationis ad prioratum acceptandum. De hoc venerabili viro P. Guidonis refert quod adolescens circiter tredecim aut quatuordecim annorum habitum nostrae religionis sumpserat cum puritate et innocentia vitae quam illibate in ordine conservavit, et quod licet esset nobilis genere, attamen nobilior animi generositate videbatur, qua omnem vitae ignobilitatem detestabatur in quocumque esset. Praedicator fuit fervidus et veritatis amicus, qui dum in festo Assumptionis beatissimae Virginis Mariae de ipsa gloriosa domina nostra devotissime et cum fervore nimio praedicaret apud urbem Sancti Juniani, vocatus a praedicta augustissima regina, ut pie creditur, incidit in morbum quo infra paucos dies, videlicet in die sancti Bernardi (4), mortuus est. Ejus corpus quod primo apud Sanctum Junianum, agente venerabili Jordano de Montecuculli, praeposito capituli, humatum erat, translatum fuit in conventu Lemovicensi; ad cujus receptionem maxima pars civium Lemovicensium obviam venit cum lacrimis et gemitibus. Ipsum enim totus populus diligebat, cum invenirent in eo salubria consilia tam de rebus transitoriis quam aeternis. Hic beatum Dominicum tenerrime diligebat, cujus capellam variis picturis et ornamentis adornavit. Sepultus fuit in capitulo et hi versus supra tumulum ejus appositi, anno obitus ejus qui fuit ab incarnatione Christi MCCCIV^us.

(1) Vallière (Creuse).
(2) 18 juillet.
(3) Compreignac (Haute-Vienne).
(4) 20 août.

pensare debemus ad quem sui status apicem perfectum iste devotus frater pervenerit; quod sane sufficeret, juxta effatum unius summi pontificis, ad ejus beatificationem. Obiit III° nonas martii (1), anno Domini MCCXIC°.

Hunc devotum fratrem secuti sunt in funere post aliquot annos fratres Stephanus Martelli et Martinus Bonelli conversi, qui diu et utiliter servierant in ordine, quique ambo, anno Domini M° CCC° II, obierunt in conventu Lemovicensi.

27. [*De venerabili fratre Joanne Mauricii*].

Frater Joannes Mauricii Lemovix, sacerdos et praedicator, vir magnae orationis quam ab initio suae conversionis usque ad finem vitae indefesse continuavit, in qua etiam crebros gemitus et lacrimas copiose fundebat, fuit plurimum erga seipsum in religione severus, et pro observantia regulari conservanda zelo maximo succensus. Quinquaginta annis vixit in fervore spiritus et operatione assiduus. Quapropter in eorum numerum receptum censemus, de quibus propheta ait quod dies pleni invenientur in eis [Psal. LXXII, 10]. Obiit pridie kal. martii (2), anno Domini MCCC°.

28. [*De venerabili fratre Gerardo Rosardi de Nontronio*].

Frater Gerardus Rosardi (3) de Nontronio vir fuit magnae religionis, jugis contemplationis, orator indefessus, qui assidue choro interrerat; unde B. Guidonis illum vocat nutricem matrem basimque chori infrangibilem; quibus verbis persuadere vult illum tanto affectu chorum prosequutum quanto mater unicum amat filium, nutrix suum fovet infantulum, et basis suum sustentat suppositum. Tanto enim ardore ad divina persolvenda officia properabat, ut nullo negotio, nulla occupatione ab illis posset avelli. Vocat eum insuper Guidonis virum virtutis et veritatis, quasi dicat illum virtutibus omnibus copiose refertum, sed maxime veritate, qua ab omni mendacio abhorrebat, in tantum ut de eo dicere possemus quod ecclesia de B. Dominico patre nostro canit, nempe quod lex veritatis fuit in ore ejus et quod iniquitas non est inventa in labiis ejus. Obiit in vigilia sancti Lucae evangelistae (4), anno Domini MCCCVI°, ab ingressu vero ordinis anno trigesimo nono.

(1) 5 mars.
(2) 29 février (année bissextile).
(3) Le ms. original portait vraisemblablement *Ronsardi*.
(4) 17 octobre.

29. [*De tribus fratribus ad cardinalatum assumptis*].

A saeculo millesimo trecentesimo currente tres fratres ordinis patria Lemovicenses, qui omnes fuerunt lectores artium in conventu Lemovicensi, assumpti sunt ad cardinalatum, quorum primus fuit

a/ Frater Gerardus de Sancto Adamaro vel potius Daumario, conventus Brivensis alumnus, qui dum Parisiis legeret Sententias, electus est in capitulo generali Carcassonensi in Magistrum generalem ordinis et successorem fratris Hugonis Campani, anno Domini MCCCXLI°; deinde ab avunculo suo Clemente sexto summo pontifice presbiter cardinalis Sanctae Romanae Ecclesiae tituli Sanctae Sabinae creatus est. In ejus gratiam multum fovit ordini nostro summus pontifex Clemens sextus rescindendo omnia quae contra ordinem fecerat Benedictus papa duodecimus. Sed non diu tanto patrono ordo fratrum Praedicatorum apud summum pontificem gavisus est; nam anno revoluto, morte praematura sublatus est. Forsan transtulit illum Deus sicut Enoch, ne fulgor purpurae et pondus legationis Galliae cor ejus elevarent et innocentiam labefactarent. Fuit enim vir innocens, gratus, humilis et pudicus ac in pauperes munificus, denique omnium virtutum exemplar. Obiit Tholosae in legatione Galliae, anno MCCCXLV° (1), sepultusque fuit et translatus in conventu Brivensi cujus erat professus. In Actis capituli provincialis Orthesii celebrati anno MCCCXVI°, praedictus frater Gerardus de Daumario positus fuit lector artium in conventu Lemovicensi, et frater Ber. Capreoli ad legendum Sententias ibidem. In capitulo etiam provinciali apud Lectoram idem frater Gerardus assignatus fuit in lectorem theologiae in eodem conventu Lemovicensi una cum fratre Gerardo de Sancto Aredio (2).

b/ Secundus cardinalis Lemovicensis ordinis nostri fuit venerabilis frater Joannes de Molendino, conventus Brivensis alumnus. Hic in capitulo Rivis celebrato anno Domini MCCCXXIX° assignatus fuit lector secundarius theologiae in isto conventu Lemovicensi, deinde ad munus magistri Sacri Palatii et inquisitoris Tholosani evectus; tandem in capitulo generali apud Barcinonam celebrato anno MCCCIL° electus est in Magistrum generalem totius ordinis

(1) Le calendrier du Missel de Jean Joffred le fait mourir en 1342. Baluze, *Vitae pap. Aven.*, II, 752.

(2) *Prima Vita Clementis VI*, dans Baluze, *Vit. pap. Av.*, I, 245; *Tertia Vita*, *Ibid.*, 286, *Quarta Vita*, *Ibid.*, 300, Baluze, *Ibid.*, 852, 986. — Quétif et Echard, *Script. ord. Præd.* I, 609. — Douais, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, 156, 211, 415.

fratrum Praedicatorum; in quo magisterio mansit solum per annum et dimidium, quia Clemens papa sextus illum in defuncti nepotis sui fratris Gerardi locum sublimavit, eumque cardinalem presbiterum tituli Sanctae Sabinae creavit, anno MCCCIL°, kal. januarii, dum in visitandis ordinis provinciis in Gallia esset occupatus. De eo legitur quod fuit magnus clericus et egregius praedicator. Obiit autem Avenione, anno MCCCLVIII°, et ejus corpus ad conventum nostrum Tholosanum inhumandum delatum est (1).

c) Tertius cardinalis Lemovicensis ordinis fratrum Praedicatorum fuit venerabilis frater Guillelmus Sudre, conventus etiam Brivensis alumnus, qui primo in capitulo apud Petracoras celebrato positus fuit lector artium in conventu isto Lemovicensi, anno MCCCXXXII°, deinde provincialis Tholosanus et magister Sacri Palatii factus, inde ad Massiliensem episcopatum regendum assumptus est, demum ab Urbano quinto summo pontifice presbiter cardinalis tituli Sanctorum Joannis et Pauli, et episcopus Ostiensis et Veliternus creatus est (2). Obiit Avenione, quarto kal. octobris (3), anno MCCCLXXIII° et ibidem in conventu fratrum Praedicatorum tumulatus.

30. [*De venerabili fratre Arnaldo Trotandi*].

Frater Arnaldus Trotandi, praedicator fervidus et devotus, qui

(1) Quétif et Echard, *Script. ord. Præd.*, I, 627. — *Prima Vita Clementis VI*, dans Baluze, *Vitae pap. Av.*, *I*. 259; *Tertia Vita, Ibid.*, 296; *Quarta Vita*, *Ibid.*, 308; Baluze, *Ibid.*, 906, 990. — Percin, *Monumenta conventus Tolosani FF. ordinis Praedicatorum*, *Soeculum*, II, an. 1350, n° 3. — *Coemeterium*, *Ibid.*, *Pars secunda*, cap. 11, n° 2. In-fol., Toulouse, 1693. — Douais, *Les frères Prêcheurs en Gascogne*, 439.

(2) « Tercius decimus prior provincialis [provincie Tholosane] frater Guilhermus Sudre conventus Brivensis, oriundus de Laguena; qui cum esset lector Carcassonnencis electus est in eodem capitulo Sancti Gaudencii, anno Domini M.CCC.XLVIII, infra octavas apostolorum Petri et Pauli; et confirmatus fuit per fratrem Johannem de Molandinis Magistrum; rexitque provinciam duobus annis, post quos absolutus per litteram, factus magister sacri palacii, ubi legit ad honorem Dei et ordinis multis annis, et tandem electus episcopus Massiliensis per dominum papam Urbanum quintum, assumptus est in presbyterum cardinalem tituli sanctorum Johannis et Pauli; deinde promotus est in episcopum Hostiensem et Velletrensem ». Continuat de B. Gui, *Prior prov.* Bibl. de la ville de Toulouse, ms. 490, fol. 73 B. — *Prima Vita Urbani V*, dans Baluze, *Vitae pap. Av.*, I, 374, 385; *Secunda Vita*, *Ibid.*, 405, 409; Baluze, *Ibid.*, 990, 1037, 1036; *Iter italicum*, *Ibid.*, II, 771 et ss. — Quetif et Echard. *Script. ord Praed*, I, 670. — Albanès, *Armorial et sigillographie des évêques de Marseille*, 82-84. In-4°, Marseille, 1884.

(3) 28 septembre.

procuravit multa bona conventui et inter alia dedicationem ecclesiae nostrae Lemovicensis, obiit circa annum MCCCXXum.

31. [*De illustrissimo fratre Joanne de Podionucis*].

Illustrissimus frater Joannes de Podionucis (1) conventus Lemovicensis alumnus, ex priore ejusdem conventus factus est Magister ordinis fratrum Praedicatorum (2) tempore schismatis inter Benedictum XIII et Bonifacium IXum, sed postea electo Utini in capitulo generali R. P. fr. Thoma Firmano pro obedientia Bonifacii noni legitimi papae, cedens Magisterio in concilio Constantiensi factus est episcopus Catanensis in Sicilia et per tredecim annos ecclesiam suam gubernans, obiit tandem circiter (*sic*) annum MCCCCXXXI.

Exemplar epistolae (3) quam sanctus Vincentius Ferrerius scripsit ad Reverendissimum Patrem Joannem de Podionucis, religiosum conventus Lemovicensis ac generalem ordinis fratrum Praedicatorum.

Reverendissimo in Christo patri fratri Joanni de Podionucis, Magistro generali ordinis fratrum Praedicatorum.

Reverendissime Magister et Pater,

Propter inestimabiles me tenentes occupationes non valui vestrae Reverentiae scribere ut decebat ; nam, ut verum fatear, ex quo recessi de Romanis usque nunc inclusive, quotidie me opportuit circumfluentibus undique populis praedicare et frequentissime celebrare. Itaque post itinera pro communi comestione, dormitione et aliis pertinentiis vix mihi superest tempus, quinimo itinerando opportet me ordinare sermones. Verumtamem ne forte mihi imputaret non scribendo ad negligentiam vel contemptum, extorsi mihi per quamplures dies et septimanas et menses aliquid temporis quotidie in tantis occupationibus, ut saltem breviter scriberem vobis aliquid de via quam feci. Noverit ergo vestra Reverendissima Paternitas quod postquam recessi de Romanis ubi me ultimo dimisisti, per tres menses continuos fui in Delphinatu praedi-

(1) Jean de Puy de Noix, né à Beynac (Haute-Vienne).

(2) A la marge : *Extat epistola fr. Vincentii Ferrerii ad illum sicut ad generalem ordinis fratrum Praedicatorum.*

(3) Quétif et Echard ont cru cette lettre perdue. Ils l'ont mise sous la date du 17 décembre 1403. *Script. ord. Praed*, I, 766 b. Ed. en partie dans *Act. SS.*, April. t. I, p. 480, nº 11, en entier par Fontana, *Monum. Domin.*, 274 ; traduite par Touron, *Hommes illustres*, t. III, 30.

in quo ejus venerandae reliquiae asservantur, anno circiter MCCLXX°, XIII° kal. aprilis (1).

23. *De venerabilibus fratribus Joanne Rigaldi et Nicolao Pauta, etc.*

a/ Zelus salutis animarum quo succensi sunt fratres Joannes Rigaldi et Nicolaus Pauta effecit ut, trajecto mari, loca quae a Christi Domini praesentia sanctificata sunt ipsi sua praedicatione et exemplo bonae vitae sanctificare conati sint; quapropter inde ad terram fidelibus a Christo promissam foeliciter migravere uterque in civitate Aconensi (2), in qua frater Joannes Rigaldi erat prior conventus ordinis nostri; frater vero Nicolaus diaconus........

Eodem fere tempore, nempe in primo saeculo ordinis nostri, frater Joannes a Sancto Michaele sacerdos et praedicator, sparso divini verbi semine in longinquis Palaestinae regionibus, et ipse tanquam bonum triticum congregatus est in horrea Domini in civitate Antiochena. Erant hi tres fratres e dioecesi Lemovicensi oriundi.

b/ Venerabilis frater Joannes Mitriti de Philitino (3) oriundus in dioecesi Lemovicensi fuit sacerdos, praedicator et optimus supprior conventus Lemovicensis. Quapropter credere pie debemus illum in coelo duplici honore dignum judicatum, quia in terra bene praefuit. Obiit in die conversionis Sancti Pauli (4), anno Domini MCCLXXIV°.

c/ Frater Helias Martelli tanto praedicandi evangelii ardore fuit succensus ut nec glacies, nec nives gelidi septentrionis obstare potuerint, quominus sacerdotis et praedicatoris apud Saxones munere fungeretur. In quo officio occupatus, tanquam bonus servus a Domino mercedem accepit. Obiit apud Pontes in Saxonia in primo ordinis saeculo.

d/ Fratres Aymericus Maumeti et Leonardus e dioecesi Lemovicensi oriundi, in terra se peregrinos considerantes, relicto natali solo, apud Niciam (5), in Sabaudiae finibus, lucis exempla demonstrarunt. Quare tanquam stellae in perpetuas aeternitates in coelo fuisse collocatos existimandum est. Obiere in primo saeculo ordinis.

e/ Frater Aymericus Carpentarius qui multum et utiliter laboravit Lemovicae, apud Tarasconem (6) in Provincia praemia suis laboribus debita percipere meruit in eodem saeculo.

(1) 20 mars.
(2) Saint-Jean-d'Acre.
(3) Felletin (Creuse).
(4) 25 janvier.
(5) Annecy (Haute-Savoie).
(6) Tarascon (Bouches-du-Rhône).

f/ In civitate Aniciensi quae vulgo Podium Sanctae Mariae (1) nuncupatur, frater Hugo de Monte Valerio sacerdos humilis et devotus dioecesis Lemovicensis, post multa devotionis et humilitatis exempla in eadem civitate moriens, a Domino in coelis meruit exaltari in primo etiam ordinis saeculo.

g/ Frater Nicolaus de Prino, Lemovicensis conventus alumnus, juvenis, devotus et diaconus, brevi tempore sui exilii curriculum consummans, ad coelestes epulas veste nuptiali coopertus, meruit evocari apud Narbonam in primo ordinis saeculo.

h/ Frater Aymericus de Bario sacerdos et praedicator gratiosus et bonus, qui fuit secundus prior conventus Brivensis, in quo moriens a Domino suo sicut bonus et fidelis servus remuneratus est.

i/ Frater Guilelmus de Planis, praedicator bonus et devotus, post disseminatum cum fructu copioso verbum divinum, venit ad Dominum Deum suum, portans manipulos animarum multarum. Obiit etiam in conventu Brivensi.

j/ Frater Joannes Molini vir innocens, sacerdos, praedicator et lector, haec quinque talenta sibi a Domino tradita quotidie amplians et alia quinque lucratus, tandem in vigilia Assumptionis Beatae Mariae Virginis moriens, dixit se sponso, nempe Christo, et sponsae Beatae Virgini, Dominicoque parenti optimo datum esse, nempe ut cum ipsis in convivio coelestis patriae in aeternum epularetur. Obiit in conventu Caturcensi; erat tamen alumnus conventus Lemovicensis.

k/ Frater Petrus Borqueti ex urbe Lemovicensi oriundus, fuit praedicator gratiosus, famosus, fructuosus et devotus secundum B. Guidonis, in multisque locis fuit prior. Obiit Burdegalae, anno Domini MCCLXXIX, ut in Actis capituli Biterrensi (2) legitur.

l/ Frater Petrus de Jutella fuit sicut lampas accensa et supra candelabrum posita; dum boni et religiosi lectoris munus sedulo obivit, extincta est haec lampas in terris ut in perpetuas aeternitates luceret in coelis. Hoc tantum bonum ipsi accidit in conventu Burdegalensi in primo saeculo ordinis.

m/ Frater Helias Telfondi de Gora nobilis genere, suavis moribus et virtute gratissimae societatis secundum Guidonem conspicuus, sincerae etiam pietatis et religiositatis sacerdos et praedicator, obiit Tholosae, dum esset socius Inquisitoris, quarta die octobris, anno Domini MCCCXI°; sepultusque fuit in claustro supra commune sepulcrum ex parte dormitorii.

(1) Le Puy-Notre-Dame en Velay.
(2) Béziers (Hérault).

n/ Frater Helias de Manaco ex urbe Nontronii (1) oriundus, vir religiosus valde, qui dum esset supprior in conventu Lemovicensi et in gravem et periculosum morbum incidisset, enixe petiit a suo supprioratu absolvi; in tantum enim timebat onera religionis, ut sisti ante tribunal tremendi judicis cum ipsis non auderet; cumque ejus votis superiores satisfecissent, tunc quasi liber pondere multum ipsum premente, laetus excessit e vita, anno Domini MCCLXXXVI.

o/ Frater Petrus de Rupe de Reses (2), qui praedicti fratris Heliae fuit successor in supprioratu Lemovicensi, ipsum etiam anno sequenti sequutus est ad sepulcrum. Fuit, teste Bern. Guidonis, modicus corpore, sed magnus virtute et praedicator bonus. Obiit autem XIII kalendas augusti (3), anno MCCLXXXVIIº.

24. [*De venerabili fratre Guilelmo de Forcellis*].

Frater Guilelmus de Forcellis de castro Lemovicensi (4) oriundus, vir devotionis et sanctitatis infatigabilis, qui de oculis suis fontem feceral lacrimarum, quae sive oraret, sive missam celebraret, vel de Deo loqueretur, statim fluebant, dulces lacrimae, testes amoris et compunctionis internae. Charitas Dei et proximi tanta erat in corde ejus, ut, cum intra angustos limites contineri nequiret, foras ad instar flammae erumpere niteretur. Quapropter unus fuit ex illis fratribus qui ad Cumanorum (5) conversionem procurandam missi sunt, ubi quot et quanta incomoda passus sit, ille novit pro quo patiebatur, propter quem etiam omnia invicto animo superavit. Sed in tribulationibus suis maximo gaudio repletus est, dum plurimos Cumanorum cum principibus suis, abjecto inanium deorum cultu, vidit collum Christi jugo submittere; eorum enim conversioni et baptizationi, teste Bern. Guidonis, interfuit. Reversus demum ex illis gelidis regionibus in natale solum, vitam transegit grandaevam et oblongam in fervore spiritus et assiduitate orationis et fletus; annos enim supra sexaginta vixit in ordine. Optandum sane ut venerabilis B. Guidonis, qui vitam tam sancti viri verbis paucis perstrinxit, prolixiorem de ea suscepisset narrationem, sane si hoc esset, omnium virtutum ferventissimis actibus refectum miraremur. Ex paucis tamen quos retulit conjicere licet hujus perfecti viri

(1) Nontron (Dordogne).
(2) Razès (Haute-Vienne).
(3) 20 juillet.
(4) Limoges-château, par opposition à Limoges-cité.
(5) Les Cumans étaient une peuplade tartare alors établie en Hongrie, dans la région appelée aujourd'hui Grande et Petite Cumanie.

perfectam sanctimoniam, quae illi eminentissimam sedem in coelo comparavit, V kal. maii (1) anni MCCXCI°.

25. [*De venerabili fratre Stephano de Malomonte*].

Frater Stephanus de Malomonte (2) cum recollectione interna et pace fraterna in sanctitate vitae assidua vixit, teste Guidone, qualem illum beatitudinem quam pacificis Dominus promisit assecutum pro certo tenere debemus. Haec pax quam habuit cum Deo per vitae sanctimoniam, cum se ipso per recollectionem internam, et cum proximo per pacem et fraternum amorem, justi ejus encomii praebent materiam tanto copiosiorem, quod per quinquaginta annos quos mansit in ordine illam sedulo servavit, et quotidie juge sacrificium offerens Deo quod sane tanto saepius et reverentius offerre poterat ad altare, quo se magis immunem erga Deum et fratres a culpa sentiebat. Tandem hic vir pacificus revelata facie visurus perrexit in patriam quem toties velatum in via susceperat. Obiit Lemovicae, XVIII kal. februarii (3), anno Domini MCCLXXXXIII°.

26. [*De venerabili fratre Petro Borneti*].

Frater Petrus Borneti conversus e vico Sancti Joannis super Ligoram (4) oriundus, vir modicae staturae, sed virtutis et religionis excelsae et obedientiae perfectae, adeo singularis fuit ejus observantia et perpetuus vitae regularis tenor, ut per triginta annos et amplius carnes in nullo casu comederit, jejunia a festo Sanctae Crucis (5) usque ad pascha in nullo casu sive intus sive extra fregerit; quotidie matutinis precibus intererat, semperque alicui bono operi erat intentus ut nemo illum otiosum viderit; horas canonicas clericorum simul et conversorum fere singulis diebus dicebat; sicque de virtute in virtutem progrediens, per quinquaginta annos et supra Deo et fratribus indefesse in ordine serviens in spiritu et veritate, plenus bonis operibus magis quam annis, per heroicam patientiam in multis et gravibus doloribus et morbis ingressus est in atria Domini. Mirum in eo videbatur quod litteras sacras quas in scholis non didicerat intelligeret tamen et loqueretur. Plura venerabilis Ber. Guidonis de eo tacet brevitatis causa; fatetur enim se multo praestantiora in eo vidisse quam referat. Ex quibus

(1) 27 avril.
(2) Peut-être Maumont (Corrèze).
(3) 5 janvier.
(4) Saint-Jean-Ligoure près Limoges.
(5) 14 septembre.

cando in circuitu verbum Dei per civitates, castella et villas in quibus nondum fueram ; praecipue visitavi tres illas famosissimas valles haereticorum (1) dioecesis Ebreduni, quarum una vocatur Frizerna (2), altera Argenteia et tertia Vallis puta. Jam quidem antea visitaveram eas bis vel ter ; et cum devotione ac reverentia magna per gratiam Dei susceperant catholicae veritatis doctrinam, sed ad eorum confirmationem iterum volui visitare. Quo peracto, ad requestas et rogamina multorum tam verbo quam scripto transivi in Lombardiam, ubi continuo praedicavi per annum et mensem in cunctis urbibus, villis et castris nunc obedientiae, et ultra scilicet in dominio Montisferrati, et ad multas requestas et rogamina domini et suorum ; in partibus illis ultra montanis quamplures inveni valles haereticorum tam Valdensium quam Gazariorum perversorum, quas percurri in dioecesi Maurianensi (3), et singulas per ordinem visitavi praedicando in unaquaque ipsarum fidem et doctrinam catholicae veritatis cum improbatione errorum ipsorum, et omnes per Dei misericordiam ardentissime et cum magno devotionis affectu ac sermonem confirmante, causam reperi in eis praecipuam haeresum et errorum esse absentiam praedicationum. Nam, ut veraciter percepi ab incolis illis, triginta anni erant elapsi quod nullus eis praedicaverat nisi Valdenses haeretici qui ad eos consuetudinarie veniebant de Apulia bis in anno. Ex quo considero, Reverendissime Magister, quanta culpa sit praelatorum ecclesiae et aliorum qui ex officio seu ex sua professione habent talibus praedicare, et potius volunt in magnis civitatibus et villis requiescere in pulcris cameris cum suis oblectamentis, interire vero animas, pro quibus Christus salvandis mortuus est. Pereunt ex defectu presbiteri spiritualis, cum non sit parvulis qui frangat panem ; messis quidem multa, operarii autem pauci. Unde rogo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam. De episcopo quodam haereticorum quem inveni in una valle illarum quae dicitur Lusorio, quomodo voluit mecum conferre et conversus est ; item, de scholis Valdensium quas inveni in valle quae dicitur Engroya et earum destructione ; item, de Gazaris haereticis in valle Pontis, quomodo a suis abominationibus conversi sunt; item, de haeriticis vallis Lantii alias Quini, ad quam olim confugerant interfectores beati Petri martiris (4), qualiter se habuerunt erga me ; item, de cessatione partium ; item, de guelphis et gibelinis ; item, de conciliatione et pacificatione gene-

(1) Les Vaudois ou Pauvres de Lyon.
(2) Embrun (Hautes-Alpes).
(3) Saint-Jean-de-Maurienne (Savoie).
(4) Saint-Pierre de Vérone, martyr, près Milan, 1252.

rali in partibus illis, et de aliis innumeris quae Deus dignatus est operari ad gloriam suam et utilitatem animarum, taceo de praesenti; sed in omnibus benedictus sit Deus. Completis autem tredecim mensibus continuis in Lombardia, intravi Sabaudiam et quinque jam sunt menses elapsi ex quo requisitus utique per praelatos et dominos patriae pluries, cum magno effectu eam visitavi, percurri dioeceses quatuor, videlicet Augustoduni, Tarantasiae, Maurianae et Gebennae (1), quae multum habet in Sabaudia, praedicando in circuitu per civitates, villas et castra earum plus et minus, prout expediens videbatur; et sum modo in diocesi Gebennensi. Inter alia vero enormia inveni in partibus illis unum errorem nimis dilatatum, celebrando festum solemniter quolibet anno in crastino Corporis Christi et tenendo confratrias in nomine Sancti Orientis; dixerunt mihi fratres nostri et Minores et alii religiosi, ac etiam curati quod non audebant jam praedicare vel aliquid dicere contra hunc errorem. Nunc principaliter insistendo, praedicando quotidie, Domino cooperante et sermonem efficaciter confirmante, extirpatus est, gentesque istae venientes nunc dolent, audientes se tantum errasse in fide. Cum vero per Dei gratiam hic error fuerit plenissime extirpatus, habeo intrare Lausanensem dioecesim et protinus eradicare morem illum paganorum quem habent et manifeste, cum adorant solem sicut Deum, maxime rustici, exhibendo ei de mane suas orationes et reverentiam ei faciendo. Nam ipsemet Lausanensis episcopus bene per duas vel tres diaetas venit ad me humiliter obsecrando ex corde quod suam diocesim visitarem, ubi sunt multae villae haereticorum in finibus Alemanniae et Sabaudiae; quod et promisi. Audistis autem quod haeretici istarum vallium sunt nimis temerarii et audaces; sed confidens de Dei misericordia consueta, intendo ibi esse circa tempus instantis quadragesimae; sicut autem fuerit voluntas in coelo, sic fiat. Socius meus frater Antoninus et ego simul cum eo, humiliter nos recomendamus vestrae Reverendissimae Paternitati, quam virginis filius indeficienter conservet in exemplum et custodiam sanctae observantiae regularis. Amen. Datum in civitate Gebennensi, die decima septembris, anno millesimo quadringentesimo quarto.

De manu mea loco sigilli

Inutilis servus Christi humillissimusque filius vester

Fr. Vincentius praedicator (2).

(1) Aoste, Tarantaise, Saint-Jean de Maurienne et Genève.

(2) C'est à cette lettre si curieuse de saint Vincent Ferrier que faisait allusion cet orateur dominicain du xve siècle dont j'ai trouvé les *sermons*. Elle confirme ma conjecture que le maître Vincent de ces sermons n'est autre que saint Vincent Ferrier. *Les manuscrits du château de Merville*, 72, 88, 89.

Hic venerabilis pater frater Joannes de Podio nucis ad quem scripsit hanc epistolam sanctus Vincentius Ferrerius, patria fuit Lemovicensis et ex priore hujus sui originalis conventus Lemovicensis factus est generalis in capitulo generali ibidem celebrato, anno Domini 1399; fecitque construere capitulum conventus et librariam superius testudinatam seu arcuatam cum fenestris ex parte claustri; in qua volumina multa et magna, antiqua etiam, au[c]thorum ordinis et aliorum manuscripta et impressa videbantur incantenata super lignariis scamnis instar veterum bibliothecarum; quae modo non extat, sed loco ejus stant cellae et capella novitiatus; imagines etiam grandes lapideas sanctorum patris nostri Dominici, Petri martiris, Thomae Aquinatis et sanctae Mariae Magdalenae in dicto capitulo fieri jussit, quae adhuc supersunt. Erat autem generalis conventuum et provinciarum ordinis in regnis et urbibus quae sequebantur partes Benedicti XIII[i]. Fuit fervens religiosus et multum exemplaris superior qui, visa decisione concilii Constantiensis, per quam Benedictus XIII et alii duo antipapae Gregorius XII[us] et Joannes XXIII[us] declarabantur illegitimi Christi vicarii, una cum sancto Vincentio Ferrario et aliis religiosis et provinciis ordinis reliquit partes Benedicti, cessitque generalatui ordinis in manibus Martini quinti unanimiter electi in papam ; qui, cognita ejus integritate, elegit ipsum in suum confessarium ac deinde in episcopum Catanae in regno Siciliae, suumque magnum vicarium apostolicum creavit in illis partibus. Fuit autem generalis, ut notatur in veteri kalendario conventus Lemovicensis, per annos decem et octo et deinde episcopus Catanensis per tredecim annos; obiitque anno Domini 1431. Non legitur ubi sit sepultus; autumandum [est] sane illum in urbe sua episcopali defunctum et tumulatum, in cujus archiviis plura de eo possent reperiri. Non etiam reperiuntur Acta capituli generalis tempore sui generalatus in conventu Lemovicensi celebrati, nisi quod ipse primus fuit qui in hoc suo capitulo instituit ut officium Beatae Virginis, matutinis et laudibus exceptis, in choro recitaretur. Praedictus autem P. fr. Joannes de Podio nucis successit in generalatu ordinis fr. Nicolao Vallisoletano (1), qui successerat fr. Nicolao de Trilia (2) et iste fr. Helyae Raymondi (3), qui vocatur Tholosanus, quamvis esset Petracoricensis et alumnus conventus Bergeracensis ; cui fratri Helyae Tholosano nominato successerat frater Raymundus de Capua (4) pro provinciis quae legitimo pontifici Urbano VI° adhae-

(1) Quétif et Echard, *Script. ord. Praed.*, I, 706.
(2) *Alias* de Troia. Quetif et Echard, *Ibid.*, I, 702.
(3) Quétif et Echard, *Ibid* , I, 660.
(4) Quétif et Echard, *Ibid.*, I, 679.

rebant; et illi fr. Raymundo, fr. Thomas de Firmo (1); et huic, fr. Leonardus Stacius de Florentia, qui, ut ait sanctus Antoninus, 3a p. *Hist.*, C. 12, in concilio Constantiensi fuit deputatus unus de electoribus papae Martini; et, ablato schismate in dicto concilio, remansit unicus totius ordinis Magister. At vero, ut scribit idem sanctus Antoninus, qui erant tunc temporis in aliqua una dignitate plures constituti quae dividi non posset, uni eorum dabatur illa nempe dignitas, et alteri aliud recompensatorium sicut in ordine fratrum Praedicatorum contigit, in quo erant duo Magistri generales in duabus obedientiis, nempe fr. Leonardus de Florentia in obedientia Joannis XXIIIi, et quidam alius notabilis Magister, qui fuit praefatus venerabilis P. frater Joannes de Podio nucis, in obedientia Benedicti XXIIIi. Decretum ergo fuit ut Magisterium totius ordinis cum unum sit, sicut ipse ordo, remaneret fratri Leonardo; alteri vero collatus episcopatus Catanensis, notabilis dignitas in Sicilia; et sic in similibus (2).

Circa praecedentia in brevi catalogo Magistrorum generalium et virorum illustrium ordinis fratrum Praedicatorum, item et in libro privilegiorum concessorum eidem ordini a summis pontificibus compilato jussu Reverendissimi P. fr. Stephani Ususmaris (3), generalis ejusdem ordinis, qui liber habetur in conventu Carcassonensi, leguntur sequentia :

« Vigesimus primus Magister ordinis fr. Simon Lingonensis provincialis Franciae, qui fuit electus in conventu Castrensi.

« Vigesimus secundus frater Helias Raymundi Petragoricensis, domini papae poenitentiarius, anno 1367, Avenioni ex ordinis vicario Magister electus per viginti duos annos praefuit. Primus capitula biennia instituit schismatis tempore anno 1380; cum provinciis Franciae et aliis Clementi VII antipapae obedientibus eidem adhaesit, ac anno 1389 Avenioni defunctus est. Ex provinciis ergo quae Clementi adhaerebant fratres Cesaraugustae congregati anno 1391 elegerunt fr. Nicolaum de Trilia Provinciae regni; quo post tres annos defuncto, in ejus locum suffectus est fr. Nicolaus Vallisoletanus provincialis Hispaniae, cui anno 1399 successit fr. Joannes de Podio nucis, prior Lemovicensis, electus apud Lemovicas, qui rexit ordinem usque ad annum 1419, quando, sublato de ecclesia schismate, totus ordo unius tantum Magistri Leonardi Statii obedientiam amplexus est. De quo infra.

« Vigesimus ergo tertius legitimus Magister generalis fuit

(1) Quetif et Echard, *Ibid.*, I, 747.
(2) Quetif et Echard, *Script. ord. Praed.*, I, 768; II, 821.
(3) Quetif et Echard, *Ibid.*, II, 143.

fr. Raymundus de Capua, provincialis Lombardiae, a provinciis Italiae et aliis Urbano VI° legitimo pontifici obedientibus electus Bononiae anno 1380. Hic regularis vitae reparationi quae tunc in Germania sub fratre Conrado Teutonico et in Italia sub fratre Joanne Dominici parvis initiis oriri coeperat, plurimum favit per decem et novem annos quibus ordini sanctissime praefuit, ac tandem anno 1399, Nurimbergae, 5 octobris, sancte obiit. Hic annus fuit 1399 quo noster fr. Johannes de Podio nucis electus fuit Lemovicae, in capitulo generali ibidem celebrato, in Magistrum generalem ordinis, qui tunc alium non habebat nec in Italia, nec in Gallia, donec anno 1401, provinciae Bonifacio IX adhaerentes elegerunt apud Utinum fr. Thomam de Firmo, et post istum fr. Leonardum Statium Florentinum. »

32. [*De venerabili fratre Joanne Mathaei*].

Frater Johannes Mathaei, sacerdos et praedicator, fuit prior hujus conventus Lemovicensis; quo tempore multa bona conventui procuravit et imprimis imagines sanctorum ordinis quas posuit super cathedras chori. Insuper ille est qui nomina fratrum, qui ab anno MCCCXII° obierunt usque ad annum MCCCILXIX diligenter notavit. In his et aliis multis bene meritus de conventu Lemovicensi, obiit anno MCCCLXXII, die prima novembris; sepultusque fuit in claustro prope ostium sodalitii Beatae Mariae Virginis, ubi effigies ejus insculpta in ultimo lapide cernitur.

33. [*De venerabili fratre Joanne Peconeti*].

Frater Joannes Peconeti, sacerdos, hujus conventus alumnus, post consummatum cursum longioris et annosae vitae, quam in bonis operibus et moribus transegerat, ad semper tranquillam et foelicem, ut pie creditur, transiit in vigilia sancti Valentini, 13ª februarii, anno Domini MDXVI°.

34. [*De venerabili fratre Joanne Mazelier*].

Frater Joannes Mazelier, hujus conventus alumnus, fuit poenitentiarius domini episcopi Lemovicensis, et prior conventus nostri in eadem urbe, cui multa bona procuravit. Cum autem per quadragesimam in civitate Sancti Leonardi concionaretur, ibidem mortuus est et translatus inde ad conventum Lemovicensem, ubi juxta fundatores conventus fuit inhumatus, anno Domini MDXLI°.

35. [*De venerabili fratre Aegidio Berton*].

Frater Aegidius Berton, conventus et civitatis Lemovicensis

alumnus, dum ex obedientia et charitate in colligendis fidelium eleemosinis ad sustentationem fratrum suorum esset occupatus in loco de Anedo (1), vita functus est anno Domini MDIL°.

XV. — De reformatione conventus Lemovicensis.

Anno circiter millesimo sexcentesimo tertio, R. P. Menaldus Rabaudus, prior conventus Lemovicensis, tactus dolore cordis intrinsecus propter incompositos mores fratrum sui conventus et neglectam ab eis ac pessundatam regulae ac constitutionum ordinis fratrum Praedicatorum observantiam, tanto malo volens occurrere, Romam petiit cum aliis religiosis eodem zelo incensis; detulitque secum litteras commendatitias consulum et optimatum urbis Lemovicae, quibus Reverendissimum patrem generalem enixe precabantur, quatenus aliquos fratres e strictiori observantia mitteret Lemovicas ad conventum praedictum reformandum. Eorum votis et petitioni annuens, Reverendissimus Pater Hieronimus Xavierre (2), pro tunc Magister generalis ordinis, ad illos hanc misit epistolam :

« Admodum illustres Domini, salutem.

» Cum vestras litteras accepi, perlegi et consideravi, vix lacrimarum habenas compescere potui, audiens tantas strages conventui nostro nobilissimo et sanctorum seminario ab humani generis hoste illatas; nec sane tanto malo mederi posse sperarem, nisi vestrum promptum animum et ardens desiderium dictum conventum juvandi perpendissem. Quare patres istos advenientes religionis zelantes, reformationem appetentes et a vobis commendatos humanissime excepi et omnia quae eorum desiderium et regularis observantiae instaurationem posse juvare cognovi, libentissime concessi et ordinavi. Obnixe igitur vos rogo ut dictam reformationem foveatis, protegatis, et ut patres filios amplexemini. Valete.

» Romae. die 19ª maii anni 1604.

» Admodum illustres domini vester

» Ad vota

» F. Hieronimus Xavierre, generalis ordinis Praedicatorum. »

Ad petitionem igitur consulum, civium et quorundam religio-

(1) Nedde près Eymoutiers (Haute-Vienne) possédait un prieuré relevant de l'abbaye de Solignac.

(2) Quétif et Echard, *Script. ord. Praed.*, II, 343.

sorum conventus Lemovicensis, missi fuerunt de mandato et voluntate Magistri generalis ordinis e conventu Tholozano reformato tres fratres, nempe P. fr. Renatus Chaillant Andegavensis, qui factus fuit prior conventus Lemovicensis, P. fr. Guilelmus Guibert Lemovix et fr. Petrus Daudiere diaconus; qui omnes pro stabilienda strictiori observantia laboraverunt in tantum, ut suo bono exemplo multos scholares ad conventum et ordinem attraherent. Sed proh dolor! nondum erat maturus fructus reformationis pro conventu Lemovicensi. Vix enim unus aut alter annus effluxerat, quod patres provinciae quibus exosa erat reformatio coegerunt illos Tolosam reverti, intimantes eis fraudulenter aliquas litteras Magistri ordinis et obedientiam falso sigillo consignatam, cui nimis creduliter obedientes reliquerunt conventum et reformationem in eo inchoatam, maximo omnium bonorum civium moerore, qui eos multum diligebant ac venerabantur, eisque largas faciebant eleemosinas. Negotium ergo reformationis infectum remansit usque ad annum MDCXXII[um], quo piis aliquot civibus denuo instantibus per litteras apud Reverendissimum patrem generalem Seraphinum Siccum pro renovanda reformatione in praedicto conventu Lemovicensi, ille tandem ad Reverendum P. Georgium Laugerium, vicarium congregationis, talem destinavit epistolam :

« In Dei filio sibi dilecto admodum Reverendo P. magistro fratri Georgio Laugerio, vicario nostrae congregationis occitanae ordinis Praedicatorum, fr. Seraphinus Siccus (1) Papiensis sacrae theologiae professor et totius ordinis ejusdem humilis Magister generalis et servus.

» Inenarrabili gaudio perfundimur cum restaurandae regularis disciplinae uti (2) a vetere instituto defecerit, opportuna nobis sese offert occasio. Cives Lemovicenses instantissime a nobis petierunt ut reformationem in nostro conventu ea in civitate sito instituere vellemus, idque tum Reverendissimo ejusdem civitatis episcopo cum universo clero, tum cunctis magistratibus ac civibus gratissimum fore affirmarunt. Quare nos hujusmodi occasionem amplecti urgereque cupientes, presentium tenore districte tibi praecipimus ut quamprimum ad eam Lemovicensem civitatem te conferas et reformationem juxta nostras constitutiones in praedicto nostro conventu instituas, fratres ibi degentes suscipiendae reformationi paratos reipsa reformes; nonnullos ex fratribus tuae congregationis quo

(1) Quétif et Echard, *Script. ord. Praed.*, II, 379.
(2) *Ubi* sans doute.

foelicius pergat negotium adciscas; praesentem priorem Patrem magistrum Guilelmum Sicreum, si reformationi sit adversus, vel eam vere suscipere et promovere neglexerit, ab officio deponas, aliumque virum gravem de reformatione bene meritum eligi cures et electum confirmes, veluti Patrem Guilelmum Guibert, suppriorem conventus Annuntiatae Parisiensis, aut P. fr. Andream Lagarde unicum, ut accepi, illius conventus filium reservatum, aut alium aliquem qui pro tua prudentia ad fovendam, tuendam a te institutam reformationem sit idoneus. Fratribus vero aliis in eodemmet conventu Lemovicensi existentibus et vitae reformatae resistentibus de aliis conventibus a suo provinciali provideri cures, omniaque et singula facias [quae] ad instituendam juxta nostras constitutiones reformationem necessaria tibi visa fuerint et opportuna; ad ea enim peragenda his nostris tibi plenam authoritatem et facultatem conferimus, excepto quod praedictum conventum a sua provincia separare non possis. Mandamus vero fratri provinciali nostrae provinciae Tholozanae et quibuscumque fratribus ejusdem provinciae aliisque nostrae obedientiae, sub formali praecepto, necnon sub poena excommunicationis latae sentenciae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, ne te ullomodo sive per se sive per alios, directe aut indirecte, impedire audeant, quominus hoc tibi reformationis injunctum munus libere exequi et perficere valeas. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem his officii nostri sigillo munitis manu propria subscripsimus. Datum Romae, die 9ª Julii an. 1621. »

R^dus^ P. fr. Georgius Laugerius, vicarius congregationis, hac accepta Reverendissimi epistola, Lemovicas se contulit, ut injunctae reformationi totis viribus intenderet; et hac de causa misit quatuor patres reformatos, nempe R. P. fr. Thomam Gergot Lemovic[ens]em quem dedit in priorem conventus, P. fr. Hyacintum Decordes, P. fr. Franciscum Jonquoux et P. fr. Andream Lagarde, et alios successive, qui pauperrimum et ex magna parte destructum recipientes conventum, ipsum interius exteriusque, Deo bene ipsos juvante et piis largas illis eleemosinas largientibus, reformarunt; imprimis enim ecclesiam et sacristiam novis ornamentis decorarunt, bibliotecam multis libris auxerunt, et, quod satius ac utilius est, plures juvenes bonae voluntatis tanquam reformationis propagines novas habitu ordinis nostri induerunt. Sicque per Dei gratiam et vitam eorum exemplarem conservatus fuit conventus et confirmatus in strictiori observantia in tantum, ut etiam segregatus fuerit post aliquot annos a jurisdictione provincialis non reformati unitusque congregationi reformatae, quae nunc provincia Tholozana nuncupatur. Faxit Deus ut in perpetuum in reformatione permaneat. Amen.

XVI. — OBITUS FRATRUM POST INTRODUCTAM REFORMATIONEM.

1. Primus frater qui post receptam strictiorem observantiam in conventu Lemovicensi obiit, fuit fr. Dominicus Buisdeligand conversus bonus et annosus, qui multum laboravit pro introducendis patribus reformatis in hunc conventum Lemovicensem, et cum ipsis zelo vitae regularis incensus remansit. Ideo pie credendum illum a Domino misericordiam consequutum, pro cujus amore et honore institutae reformationi tantopere faverat. Obiit autem circa annum Domini MDCXXVIIum, sepultusque fuit in claustro.

2. Anno Domini MDCXXXI°, die 18a augusti, peste ictus obiit R. P. fr. Franciscus Secousse, conventus Tholosani professus et tertius prior conventus Lemovicensis post reformationem de eo factam. Hic fuit praedicator doctus et fervidus qui in multis cathedralibus concionatus fuerat, lectorque theologiae admodum doctus extiterat. Tandem apud Beynacum (1) prioratum conventus Lemovicensis quo iverat luem declinandi causa, incidit in eam; sicque perdevote et dulciter psalmos et hymnum *Ave, Maris stella* canens, defunctus est et ibidem in coemeterio communi sepultus.

3. Eodem anno et eodem modo apud Beinacum obiit fr. Joannes Desnols conversus natione belga, professus conventus Sanctae Mariae Annuntiatae Parisiensis, religiosus perdevotus, pius, observantissimus et valde laboriosus, qui in eodem loco de Beynaco in coemeterio communi fuit sepultus.

4. Eodem quoque anno et eodem modo obiit in conventu Lemovicensi mense martio peste correptus fr. Hyacintus Saint conversus, filius conventus Tullensis in Lotharingia, devotus et laboriosus frater ; sepultusque fuit sub infirmaria conventus ubi decessit.

5. Anno circiter millesimo sexcentesimo trigesimo quinto, obiit in conventu Albiensi Rdus P. fr. Thomas Gergot Lemovix, qui fuit primus prior conventus Lemovicensis ab introducta reformatione ac de illo bene et optime meritus; quem enim pauperrimum et undique fere desolatum receperat gubernandum, sua sollicitudine et in agendis solertia tum in ornamentis, libris et paramentis plurimum ornavit ac reparavit. Fuit enim vir religiosus et exemplaris, Rosarii beatissimae virginis Mariae singularis praedicator et egregius cultor, ac propterea, ut pie credendum est, inter ephebos tantae reginae in coelo collocatus post trigesimum a sua professione annum.

(1) Beynac près Limoges

6. R. P. fr. Ludovicus Bertrand, Lemovix hujusque conventus professus, bonus et devotus religiosus, dum Tholosae concionatoris ordinarii munus obiret, ex hac luce subtractus in aeternam migravit in conventu Tholozano, circa annum MDCXXXVI.

7. R. P. fr. Hyacintus Binet, urbis et conventus Lemovicensis alumnus, postquam fideliter et constanter desudasset pro introducenda et conservanda strictiori observantia in conventu Carcassonensi, ibidem moriens laborum mercedem percepit, circa annum MDCXXXVI.

8. R. P. frater Geraldus Garcias Arvernus natione, professus conventus Tholozani, vir religionis observantissimus et bonus, qui bis fuit prior conventus Lemovicensis post admissam reformationem ac de eo bene meritus ; tempore enim sui prioratus dormitorium ex parte Sancti Michaelis de Pistoria (1) fere perfecit et aptum ad manendum reddidit. Tandem initio sui repetiti prioratus, obiit anno Domini MDCXXXIX°, die IXª februarii ; sepultusque fuit in capitulo.

9. Eodem anno 1639, obiit in eodem conventu fr. Gabriel Faucher, conversus, oriundus e vico Sancti Joannis de Ligora (2) in Lemovicinio et hujus conventus professus, devotus valde et laboriosus religiosus.

10. Hunc secutus est eodem anno alius frater conversus, Nicolaus Pricquel nomine, qui erat professus conventus Sanctae Mariae Annunciatae Parisiensis; fuitque dum viveret admodum religiosus et pius, fidelisque et expertus oeconomus. Obiit in conventu Lemovicensi, sepultusque est in claustro ante ostium ecclesiae sub ultimo lapide.

11. Anno Domini 1639, obiit illustrissimus R. P. fr. Franciscus de Lomenius Lemovicensis et ordinis fratrum Praedicatorum alumnus, qui primum factus fuit abbas abbatiae de Josaphat, deinde episcopus Massiliensis per multos annos (3). Hic parentes videndi causa veniens Lemovicas, ibidem in gravem et extremum morbum incidit, cumque acutis doloribus gravaretur, haec solum verba ad Deum se convertens iterabat : « Domine, non sum aeneus. » Post ejus obitum, corpus ejus delatum est ad ecclesiam conventus Lemovicensis ut ipse vivens petierat, in qua per unam noctem mansit ; deinde ad ecclesiam cathedralem Sancti Stephani comitante episcopo Lemovicensi in pontificalibus cum universo clero tam seculari quam regulari, in sepulcris majorum fuit repositum ; ejusque funebrem

(1) Saint-Michel-de-Pistorie, église paroissiale de Limoges.
(2) Saint-Jean-Ligoure près Limoges.
(3) 1624-1639.

orationem panygericam (*sic*) pronuntiavit R. P. fr. Basilius Vivinus (1), conventus Lemovicensis alumnus.

12. Anno Domini 1643° die 21ª junii, obiit in hac conventu Lemovicensi frater Raymundus Bodet conversus, olim professus conventus Fontenensis in provincia Franciae, qui zelo vitae regularis enixe petiit in conventu iste affiliari, in quo pie et laboriose vivens, res communes et religionem zelans, laborum metam invenit; sepultusque fuit in claustro ante portam capituli.

13. Eodem anno 1643 [obiit] venerabilis P. fr. Ludovicus Lacour Leodiensis in Belgio et conventus Tullensis in Lotharingia professus, assignatus tamen in conventu Lemovicensi in quo religiosissime conversatus est. Erat enim vir bonus, simplex et charitatis visceribus affluens pro proximis, quorum confessiones humaniter et benigne excipiebat tam in infirmitate quam sanitate, pro quorum etiam salute se mortis periculo tempore pestis exposuit. Enituit insuper ejus charitas erga damnatos ad mortem ob crimina, quos ad suplicium comitabatur suisque exhortationibus et admonitionibus illius acrimoniam minuere nitebatur. Tandem post multa charitatis opera migravit ad Dominum in balneis Borbonicis (2) ad quae sanitatis recuperandae causa se contulerat; sepultusque fuit honorifice in conventu nostro Molisnensi tanquam proximiori.

14. Anno Domini 1644°, die 16ª julii, obiit in hoc conventu Lemovicensi R. P. frater Ambrosius Bonet ex oppido Nexonii in Lemovicinio oriundus, suppriorque existens pro tercia vice dicti conventus. Hic fuit religiosus admodum erga seipsum austerus, jejuniis, vigiliis, disciplinis et aliis austeritatibus corpus macerans. Sororibus tertii ordinis praepositus, eas ad perfectionis apicem tum verbis tum exemplis animabat. Infirmos et pauperes lubenter visitabat, eos suis exhortationibus ad patientiam accendens, quod dum faceret in xenodochio suam ibi ultimam contraxit aegritudinem, quae illi ad coelos, ut pie autumandum est, aditum patefecit. Post ejus mortem populus qui eum summopere diligebat ac venerabatur, non cessavit confluere ad videndum corpus ejus tota die qua mansit in feretro expositum; quidam etiam particulas vestium ejus scindere visi sunt, quas in reliquias servaverunt. Sepultus fuit in claustro prope ostium ecclesiae.

15. Eodem anno nempe 1644, obiit in conventu Ruthenensi (3) circa festum sancti patris nostri Dominici P. fr. Antoninus Combellus ex

(1) Quétif et Echard, *Script. ord. Praed.*, II, 608.

(2) Probablement Bourbon l'Archambault (Allier), plutôt que Bourbonne-les-Bains (Haute-Marne), en raison de la proximité de Moulins.

(3) Rodez (Aveyron).

oppido Solonis (1) in dioecesi Lemovicensi oriundus, conventus Lemovicensis professus, qui fuit vir religiosus, humilis, officiosus et utilis, quibus virtutibus ad aeternum beatorum regnum sibi viam communivit.

16. Anno 1650, obiit in hoc conventu Lemovicensi, die 23ª februarii, P. fr. Bernardus Carriere, urbis et conventus Baionensis alumnus, qui desiderio strictioris observantiae amplectandae Tolosam veniens sub venerabili P. fr. Sebastiano Michaelis primitias spiritus reformationis ita hausit ut deinceps in conventibus in quibus vigebat manere operae pretium duxerit. Tandem ultimate in conventu isto Lemovicensi assignatus et affiliatus est, in quo bis aut ter supprioris munus exercens pro vitae regularis stabili fundamento plurimum laboravit. Erga Deiparam virginem tantopere affectus erat, ut millies in die eam cum puero Jesu salutaret, plura dicendo rosaria. Insuper parvum ejus officium multis licet morbis et doloribus afflictus cum diurno quotidie recitaret. In audiendis confessionibus tum pauperum tum divitum, magnorum etiam peccatorum, charitas et patientia ejus enituerunt. Denique coelo jam maturus post sexaginta annos in ordine nostro exactos, religiosus hic senex, bonus ac timens Deum, migravit ad Dominum; sepultusque fuit in capitulo communi, populo multo concurrente ad ejus exequias propter bonum nomen et gratiam quam sibi apud omnes conciliaverat.

17. Anno Domini 1651, die 26ª martii, obiit P. fr. Henricus Colombus, secundus professus hujusce conventus Lemovicensis post introductam strictiorem observantiam. Hic fuit vitae regularis tenacissimus cultor et fervidus zelator; quapropter ad officium magistri novitiorum in conventibus Sancti Maximini et Burdegalensi electus, illud cum multa sollicitudine et exemplo administravit. Tandem post vigesimum septimum a suo ingressu in ordinem annum, anima ejus e carcere corporis egressa, ad coelum, ut pie creditur, evolavit. Sepultus fuit in claustro juxta portam capituli, ubi beatam resurrectionem expectat.

18. Anno Domini 1658, die 4ª decembris, ex hac luce in sempiternam migravit venerabilis et devotissimus P. fr. Hyacintus Crouchaud, hujusce civitatis et conventus Lemovicensis alumnus; cujus sane si egregias virtutes et praeclara facta omnia recensere vellem, nimium excresceret mea narratio; pauca de multis referam. Ex urbe Lemovica honestis parentibus originem duxit, apud quos exacta sancte pueritia, ordinem fratrum Praedicatorum in conventu Lemovicensi recenter ad vitae regularis normam redacto, amplexus

(1) Peut-être Salons (Corrèze).

est. In quo per triginta sex annos ita vixit, ut se vivum beati patris nostri Dominici exemplar praeberet. Ejus enim amorem seraphicum erga Deum optimum maximum imitatus, nunquam de eo fere sine jubilo et tripudio loquebatur; ad omnia semper promptus fuit quae ad ejus honorem et servitium spectabant. Erga augustissimum Eucharistiae sacramentum tenerrima affectus devotione, ab ipso limine conventus illud profonde adorabat. Croatis (1) Lotharingiam devastantibus, ipse solus in conventu nostro Blanvilleo mansit intrepidus et jejunus usque ad quartam diei horam ut sanctissimi sacramenti particulas quae erant in sacra pixide deglutiret, ne in manus impiorum haereticorum devenirent; quod et praestitit, quamvis barbari illi evaginato ense mortem intentarent. Cum propter vertiginis morbum a sacro celebrando impediretur et a sacra synaxi sumenda illa die cum fratribus adesse recreationi non audebat, vociferans se indignum cum religiosis conversari, cum quibus non esset dignus sacrorum misteriorum particeps fieri. Beatissimae Virginis cultui totus erat mancipatus, ante ejus imagines nunquam quin genibus flexis illam veneraretur praeteribat, saltem dum solus esset; quotidie ejus parvum officium cum sacro tripudio simul cum rosario recitabat, et ne solus in suprema coelorum regina colenda videretur occupatus, omnes quos poterat ad Rosarii sodalitatem amplectendam animabat. Pari devotionis sensu erga beatum patrem nostrum Dominicum et sanctos ordinis rapiebatur, sicut et erga beatum Martialem Lemovicensium apostolum, in cujus templum cum per urbem gradiebatur, de more oraturus intrabat, blande socios ad talem cultum compellens. Pro proximo gestabat viscera charitatis; nunquam fuit auditus male de absentibus loqui, utpote qui eorum defectus quantumvis apparentes diligentissime et charitative obtegeret et in bonam partem interpretaretur. Religiosos omnes tam externos quam contubernales singulari affectu prosequebatur, eisque in necessariis pro posse subveniebat, fovebat, adjuvabat. In direptione urbis Blanvilleae in Lotharingia ex motivo charitatis calicem dedit impio Croatae heretico ad redimendam foeminam quam captivam abducere volebat cum pudoris periculo. Quid dicam de ejus assiduitate in sequela chori nocte dieque, et caeteris communitatis exercitiis, a quibus nec aeger abesse volebat? Et si aliquando uti dispensatione cogebatur, hoc maximum tormentum reputabat. De patientia ejus in adversis et morbis quid loquar? Fuit enim maxime singularis; nunquam visus est iratus, nunquam auditus de re aliqua conqueri,

(1) Ces Croates sont évidemment un parti d'Impériaux combattant contre la France.

nec verbum minus sapidum proferre, quamvis pluribus aegritudinibus esset obnoxius. Fidem habebat non vulgarem, spem etiam ita firmam ut comprehensorem magis quam viatorem diceres. Obedientiae legibus ita erat addictus, ut quamvis aegerrime per urbem vagari pateretur, attamen ad superiorum nutum fratrum omnium qui in urbem pergere volebant socius esse non dedignabatur. Ab amore parentum ita propter Deum erat alienus, ut tormentum subire videretur cum illos invisere eosque alloqui cogebatur, quem rigorem erga propriam sororem servarit, quinimo et erga ipsam matrem. Obediens enim Christi discipulus cum ex isto conventu Lemovicensi in alium esset assignatus, profectus est matre in extremis posita jamjamque moritura, et reipsa defuncta est die profectionis filii; dimisitque juxta verbum Christi mortuis mortuam sepeliendam. De castitate ejus quid dicam, nisi quod fratres qui ejus audierunt confessiones asserunt cum justo fundamento illum virginitatis candorem usque ad obitum servasse; ad quam conservandam magna utique diligentia semper usus est. Paupertatem ita coluit, ut quidquid in conventu vilius aut detritum magis esset in suos usus assumeret, itinera sine viatico et pecunia quam nequidem contingere immediate audebat conficeret. Ejus labori indefesso omnia notatu digna quae jam retulimus plurima, plurimaque alia memorialia tum urbis tum conventus Lemovicensis debemus [pretermittere], quae exacte nobis conventus scripta reliquit. Tandem devotus iste pater et a seipso et a cunctis rebus caducis alienus, totus inhians coelestibus, cui vivere cum Paulo Christus erat et mori lucrum reputabat, ad extremam suam veniens aegritudinem, mortem quam a longo tempore optabat laetus aspexit, die quarta decembris anni supradicti. Vix ejus mors fuit per urbem divulgata quod factus est concursus populorum ad ecclesiam nostram ad videndum corpus ejus, in tantumque crevit devotio ut vestes defuncti in reliquias sibi assumerent, eumque fere nudum reliquissent nisi quantocius fuisset inhumatus. In capitulo claustri sepultus fuit, sed praeclarae ejus virtutes virenti semper memoria in ore omnium qui eum viventem agnoverunt adhuc vigent et vigebunt. Faxit Deus ut ejus precibus et meritis illi aliquando in coelo conjungamur.

19. Anno Domini 1669, die quarta julii, obiit in conventu Lemovicensi venerabilis P. fr. Dominicus Drapeiron e Libersaco(1) oriundus hujusque conventus professus, qui non vulgari pietate fuit conspicuus. De eo enim vere dicere possemus quod divus Paulus de primis christianis, quod mortuus erat et vita ejus abscondita erat

(1) Lubersac (Corrèze), plutôt que Libersac (Dordogne).

cum Christo in Deo [Colos., III, 3.]; vita enim ejus vere mors poterat vocari tum propter poenitentiae rigorem, tum propter diligentiam quam adhibebat ut in occulto maneret. Sed tamen non potuit lucerna ejus virtutum ita sub modio humilitatis delitescere et abscondi ut non luceret religiosis et saecularibus multis, apud quos adhuc memoria ejus in benedictione est. Plurimos enim ad cultum vitae spiritualis efformavit, tum novitios quorum institutioni praefectus est in conventibus Avenionensi, Burdegalensi et Lemovicensi, tum etiam sorores de poenitentia quarum culpas quantumvis exiguas severis et salutaribus coercebat poenitentiis. Non enim erat de illorum numero confessorum qui consuunt, juxta prophetae effatum, pulvillos sub omni cubito manus [Ezech., XIII, 18], quin potius in poenitentiae tribunali, ita ab omni humana consideratione alienus erat, ut poenitentibus ad illum accedentibus unum e duobus esset eligendum, aut ad perfectionem tendere viam arctam amplectendo, aut ad ipsum non accedere. In vita spirituali fuit exercitatissimus, ut testantur ejus scripta summam pietatem redolentia; in interioris hominis reformatione et oratione assiduus, Dei presentiae addictissimus erat; vitae insuper regularis firma fuit columna; denique omni virtutum genere ornatissimus, dignus fuit, ut pie credimus, ad montem Domini virtutum in aeternum mansurus accedere die et anno praedictis.

20. Anno Domini 1672, obiit in conventu Brivensi venerabilis P. fr. Vincentius Lansade, civitatis et conventus Lemovicensis alumnus, qui fuit divini verbi fervidus praeco et unus ex illis quos propheta nubes vocat, quia, ut ait beatus Gregorius, verbis pluunt et exemplis coruscant. Sic iste devotus pater sanctum Vincentium patronum suum imitatus, majorem suae vitae partem insumpsit in evangelii praedicatione. Circuibat enim Salvatoris exemplo per vicos, castella et parrochias fere continuo ut rusticos et indoctos fidei et doctrinae christianae rudimentis imbueret, et oves perditas, nempe peccatores, ad gratiae Christi ovile adduceret. Porro ita ab omni humana consideratione erat alienus in functionibus concionatoris et confessarii, ut personam cujusquam non revereretur et leonis ad instar ad nullius paveret occursum. Hanc potissimum ostendit animi magnitudinem erga dynastam potentissimum cui in faciem restitisse dicitur, eumque in confessione audire recusasse donec quaedam pedagia injuste inducta removisset et restitutionem pro eorum inductione debitam fecisset. Qua de causa multas passus est persecutiones, opprobria et ludibria, quae laeto et invicto animo sustinuit, memor verbi Domini qui beatos illos nominat qui persecutionem patiuntur propter justitiam [Matth., V, 10]. Praecipuus cultus quo beatam virginem Deiparam venerabatur

efficiebat ut modis omnibus et toto conatu Rosarii devotionem ampliare satageret. Plura sunt alia ejus praeclare gesta, quae ad meam non venere cognitionem, quaeque hunc devotum et fervidum missionarium adeo venerabilem in populis reddiderunt, ut post obitum ejus qui contigit circa festa Paschalia anni praedicti, plures certatim pro reliquiis sibi assumerent res quae ejus usui fuerant deputatae. Sepultus fuit in conventu Brivensi, ubi obierat.

21. Anno Domini 1673°, die 17ª martii, obiit venerabilis P. fr. Petrus Andre ex ista urbe Lemovica oriundus, et hujusce conventus Lemovicensis primus professus post introductam strictiorem observantiam. Hic fuit cherubim luminosus in scientia et doctrina, quam ostendit in concionibus depromendis cum clarissima fama in multis regni Galliae principalioribus cathedralibus. At, quod et rarius et consequenter mirabilius est, munus concionatoris exercuit absque ullo humano respectu, in omnibus tam optimatibus quam pauperibus vitia redarguens. Non enim erat ex eorum numero de quibus propheta conqueritur dicendo quod sunt canes muti, non valentes latrare [Isai., LVI, 10]; quin potius noster divini verbi praeco in hoc se verum esse demonstravit Dominicanum, id est canem Domini indifferenter contra omnes peccatores oblatrantem. Quapropter pro tessera sumpserat haec verba regii vatis : *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque* [Ps. CXVIII, 43]. Hujusce veritatis plura praebuit argumenta in concionibus quas habuit ad populum civitatis Lemovicensis et civitatum aliarum in quibus praedicavit, quibus sufficienter probavit se tanquam fidelem servum Domini mundo placere non appetiisse. Reliquit nobis ingenii sui et laboris plurima monumenta in bibliotheca communi asservata, quae ejus profundam doctrinam et sanctorum patrum claram notitiam aperte declarant. Sepultus fuit in concavo capituli, ubi beatam resurrectionem expectat.

22. Circa annum Domini 1674 obiit in insulis Americae R. P. fr. Josephus Chastagnac, piis honestisque parentibus Lemovicae natus et conventus Lemovicensis professus ab anno 1656°. Hic fuit devotus et fervidus religiosus, quem solus honoris Dei et salutis animarum zelus incitavit ut in extremas Americae oras evangelium propalaret. Quod utique conjicere licet ex illa animi magnitudine quam ostendit in sua ad Americam transmissione. Dum enim navis in qua erat saeva tempestate jactaretur ita ut omnes qui in illa erant metu mortis et laboris nimietate pene essent exanimes, ipse solus malo navis voluit alligari ut inde tumentes fluctus intrepide contemplaretur; per quod ostendit quam radicitus infixa esset spei suae anchora in Dei adjutoris et in testimonio conscientiae suae. Obiit in laboriosis functionibus suae missionis citius nimis ut videtur, etsi

quatuordecim fere annos in illis consumpserit pro insulanis Americae, quibus et verbo et exemplo plurimum profuisset, sed pro se foeliciter dum ex procellis hujus mundi ereptus, in tranquillo portu beatitudinis, ut pie credimus, conquievit.

23. Circa annum Domini 1675, obiit in conventu Tholozano devotus et fervidus fr. Jacobus Tirebas, civitatis et conventus Lemovicensis alumnus. Hic fuit vere Israelita in quo dolus non erat et in quo, si ita loqui fas sit, Adam peccasse non videbatur, ita ut magister novitiorum in ejus confessionibus materiam absolutionis vix inveniret. Quamvis autem ita rectus esset et innocens, erga seipsum tamen austerus existebat. Tholozam missus studiorum causa, ibi in gravem et lethalem morbum incidit, quo ex hac luce migravit post tertium aut quartum a sua professione annum; et licet fuerit consummatus in brevi, attamen per fervorem et innocentiam explevisse illum tempora multa autumandum est. Sepultus est in conventu Tholozano, ubi obiit.

24. Anno Domini 1674, in die festo Pentecostes, obiit in hoc conventu Lemovicensi R. P. fr. Josephus Romanet, Lemovix et hujus conventus professus, juvenis sacerdos magnae spei, qui diu pulmonario morbo laborans dolensque quod incolatus ejus in hac miseriarum valle prolongatus esset, desiderabat cum beatis spiritibus prospicere faciem Domini Dei sui; unde morti proximus R. P. priori haec divi Pauli verba protulit : « *Cupio dissolvi et esse cum Christo* » [Phil., I, 23]; et brevi post tempore, carne solutus voto suo, ut pie credendum est, potitus est. Sepultus est in capitulo communi, ubi beatam resurrectionem expectat.

25. Circa annum Domini 1676um, obiit R. P. fr. Martialis Boubiat e Burgonovo (1) in Lemovicensi dioecesi oriundus et conventus Lemovicensis professus. Hic fuit fervidus et doctus religiosus firmaque columna vitae regularis. Propterea novitiorum institutioni in conventibus Sancti Maximini et Lemovicensi praefectus est ; in quo officio per plures annos magno religionis incremento mansit. Tandem in Monspeliensi conventu prior existens, ibidem subitanea sed non improvisa morte sublatus est. Sepultus est in conventu Monspeliensi.

26. Anno Domini 1676°, circa festum sacratissimi Corporis Christi, obiit in hoc conventu Lemovicensi frater Raymundus Monrejaud conversus, Tholozanus origine et professus conventus Lemovicensis, pius, exactus et fervidus religiosus, qui diu et multum pro isto conventu laboravit. Unde pie autumandum est illum labo-

(1) Bourganeuf (Creuse).

rum mercedem in coelo a Domino fuisse consecutum. Sepultus est in capitulo claustri.

27. Anno Domini 1677°, obiit in hoc conventu devotus frater Joannes Duclareix e vico Sancti Laurentii (1) in dioecesi Lemovicensi oriundus et hujus conventus professus, novitius magnae spei, qui pulmonario morbo diu laborans, per mensem fere agonizavit. Tandem in vigilia Natalis diei Christi Domini, sacramentis rite munitus ut in coelo nasceretur, ex hoc mundo migravit. Sepultus fuit in capitulo, ubi beatam expectat resurrectionem.

28. Anno Domini 1678, mense januario, obiit devotus frater Jordanus Robi, hujusce conventus professus, diaconus senex et grandaevus, erga pauperes valde misericors, quibus fere quotidie sui prandii portionem relinquebat. Eadem charitate motus fratribus onerosus esse nolebat, ita ut hanc enixe a Deo optimo maximo gratiam postularet ne eum ante obitum diu in infirmitate detineri permitteret; quam certe obtinuisse eum et credimus et vidimus: tandiu enim licet aeger se in propria cella continuit donec ad extrema redactus ad infirmariam deductus est, ubi per unum solum aut alterum diem manens, sacramentis devote susceptis, placidissime obdormivit in Domino. Sepultus fait in capitulo claustri, ubi adventum magni Dei expectat.

29. *De venerabili P. fr. Petro Poileveo.*

Anno Domini 1679, obiit, die Iª novembris, venerabilis ac immortali laude dignus R. P. fr. Petrus Poileveus, civitatis et conventus Lemovicensis et alumnus et ornamentum, cujus memoria in benedictione est. Hic siquidem ampla parentum hereditate dimissa, dum esset heres unicus, per calcatas divitias simul et matris viduae lacrimas perrexit in ordinem fratrum Praedicatorum, cujus habitum de manu R. P. fr. Petri Andre suscepit, annoque evoluto probationis, professionem coram R. P. fr. Dominico Regio, Inquisitore Tholosano, emisit. Mirum dictu quot et quanta fervidus tyro de humani generis hoste trophaea reportavit, quae omnia ille solus novit qui pugnantem adjuvit et nunc coronat victorem. Seipsum enim praebuit vivum omnium virtutum exemplar; nam a Christo Domino edoctus interius qui dicit : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* [Math., XI, 29], mansuetudini et humilitati per totam vitam assidue operam dedit. Tanta fuit etiam ejus modestia et continentia ut ad foeminarum colloquia nonnisi aegerrime et coactus etiam in poenitentiae tribunali accederet. Rarum erat

(1) Peut-être Saint-Laurent-sur-Gorre (Haute-Vienne).

in eo et fervens poenitentiae desiderium, quo proprio corpori bellum perpetuum indixerat, illud disciplinis, jejuniis, catenis ferreis et aliis plurimis austeritatibus continuo fere edomans. Paupertatis studiosissimus, quidquid in vestiario erat vilius in suos usus semper expetebat. Spiritu compunctionis et timoris Domini ita repletus erat, ut quamvis vitam duceret innocentissimam, attamen quotidie unius fere horae spatio crebris gemitibus, lacrimis et pectoris tunsionibus se ad confitenda peccata levissima praepararet. Sed post multos gemitus et suspiria, benignissimus Deus consolationibus suis laetificabat animam ejus secundum multitudinem dolorum in corde ejus in tantum, ut ex abundantia supernae dulcedinis cor ejus ad instar cerae liquescere videretur ; cujus rei indicia et testes erant dulces illae lacrimae ubertim ex oculis ejus defluentes, maxime dum sacrum missae sacrificium perageret. Charitate erga Deum optimum maximum et proximum ardenti flagrabat in tantum, ut pro animarum salute multis se proprii corporis subjiceret cruciatibus. Dono discretionis spirituum a Deo optimo maximo mirum in modum fuit insignitus. In vita etiam spirituali fuit exercitatissimus, in interioris hominis reformatione et oratione assiduus ac Dei presentiae addictissimus fuit. Quapropter plurimos utriusque sexus fideles ad cultum vitae spiritualis efformavit, quos ad arctam perfectionnis viam tum verbis potentibus et divina unctione plenis, tum potentioribus exemplis adducebat. Spiritu prophetico multa praedixit quae suo tempore evenere. Cordium arcana ei divinitus detecta esse pluribus signis et argumentis demonstravit. Quid dicam de ejus orationum et precum efficacia, quam ego ipsemet qui haec scribo toties expertus sum, ita ut ultro fatear coram Deo optimo maximo et hominibus quod sine tam sancti viri precibus e claustro egressus, ut mihi mens erat, jam sine dubio periissem. Addo praeterea quod si quid boni in ordine fecerim, hoc ipsum, post Deum et ejus sanctissimam matrem, precibus ejus me debere veraciter agnosco : quippe qui de meo semper tepidus et negligens extiti, ejus vero amantissimi patris pias intercessiones apud Deum optimum maximum, sive dum viveret, sive nunc etiam post mortem, in necessitatibus expertus sum efficaciter. Plura alia virtutum opera hujus sanctissimi viri brevitatis causa omitto ; dicam solum quod bis supprioris et magistri novitiorum officium in hoc conventu [cum] magno religionis incremento administravit. Inde vero Reverendissimi Magistri generalis jussione a superiore conventus Lemovicensis destinatus est confessor monialium Sancti Benedicti monasterii quod vulgo Regulam (1)

(1) La Règle, abbaye de Limoges.

vocant. Quod munus dum sedulo obiret, in morbum incidit, ex quo meritis plenus coeloque jam maturus in festo Sanctorum Omnium, ut eorum sane numerum augeret, placidsssime expiravit anno 1679°. Sepultus fuit in capitulo claustri. Faxit Deus optimus maximus ut tam sancti viri meritis et precibus ad sanctorum aliquando consortium pervenire mereamur. Amen.

30. Circa annum Domini 1685um, obiit in hoc conventu Lemovicensi R. P. fr. Joannes Laschenaud, ex dioecesi Lemovicensi oriundus et istius conventus professus, qui habitu ordinis levi de causa primum exutus, militiae saeculari nomen dedit, et per plures annos inter effraenatam armorum licentiam amorem sacri nostri ordinis quem invitus deserere coactus fuerat, ita servavit, ut e bello reversus maxima cum humilitate et perseverantia denuo habitu ordinis indui postulaverit. Quam gratiam et misericordiam post multas preces assecutus, cum magno spiritus fervore omnia religionis munia obivit; seipsum enim novae militiae adscriptum memorans, contra tres humani generis hostes continuum bellum movit; de quibus per Dei omnipotentis auxilium reportata victoria, consummatoque brevi temporis intervallo cum vita certamine, coronam beatitudinis a supremo judice accipere meruit. Quod ex ejus conversatione devota et religiosa cum justo fundamento conjicere licet. Obiit morbo pulmonario satis longo. Sepultus fuit in capitulo clau stri.

31. *De venerabili P. fr. Petro Chastagnac.*

Anno Domini 1691, die 17a augusti, obiit in hoc conventu venerabilis et aeterna memoria dignus R. P. fr. Petrus Chastagnac, actualiter prior, qui honestissimis et piis parentibus in hac urbe Lemovica natus est circa annum 1639um. Adolescens vero ordinem fratrum Praedicatorum amplexus, in isto conventu Lemovicensi sacro habitu religionis indutus est a R. P. fr. Joanne Franc. Dufaur in die sancto Pentecostes. Judicandum sane est illum cum habitu novum hominem induisse novumque spiritum spirare coepisse. Indolem enim suam ad jocosa proclivem deinceps contraxit, ut senilem gravitatem et angelicam modestiam toto vitae tempore assumpsisse visus fuerit. Humilitatis nebula praeclaras animi sui dotes ita obtegere illi curae fuit, ut quamvis ingenii acumine caeteros quosque antecelleret, omnium tamen infimus et simplicissimus apparebat; quamvis in scientia et doctrina vix parem haberet in provincia nostra Tholozana, lectores tamen omnes modestia et mansuetudine superabat; quamvis denique in concionibus depromendis esset facundissimus et mellifluam pieta-

tem spirans, attamen saepius ad crates monialium quam in honoratioribus cathedris praedicare eligebat. Jugis in ejus corde charitas ardebat, qua Deo per ejus praesentiam fere continuam et mentis elevationem unitus videbatur. Proximo vero quaecumque poterat impendebat officia, etiam iis a quibus multa passus fuerat. Puritatem tum animae, tum corporis ita adamavit ut confessarius qui ejus excepit confessiones asserat se per quinquennium in ejus confessionibus peccatum veniale ex voluntate deliberata perpetratum non invenisse. A Reverendissimo Patre Magistro generali Romam vocatus ut novitiorum institutioni in conventu Sanctae Sabinae praeficeretur, ibidem suae profundae doctrinae et peritiae clara dedit indicia, respondendo quaesitis circa difficultates summo ingenii acumine. Has exercitationes sibi pergratas esse significavit Innocentius undecimus summus pontifex. Tholozae et Lemovicis pluries magistri novitiorum officio functus, tanta prudentia et pietate illud administravit, ut omnium sibi devinciret affectum et ad quaecumque vellet novitiorum animos pietatis opera inclinaret...... hoc Lemovicensi conventu prioris munus exercuit........ nec minis nec querimoniis ullis potuit impediri quin...... missarum stipendia et celebrationem multa debite or...... quae nunc ut rite facta probantur ; mos enim illi erat ita firmiter bono agnito adhaerere ut nulla consideratione, nec ullis hominum dictis aut factis ab illo prosequendo averteretur, sed tamen ita mitis ut cum nullo proterve contendere, aut verbum minus sapidum proferre toto vitae tempore in religione auditus sit. Quid dicam de ejus recollectione et oratione sine qua nihil aggredi solitus erat, quamque omnipotentissimam fuisse, ut ita loquar, in multis occasionibus probavit eventus? Quid de ejus observantia regulari, quae tanta et talis fuit ut ad instar Christi Domini, ne perderet obedientiam perdiderit vitam? Cum amore et zelo nimio, si ita loqui audeam, constitutiones servandi, ad infirmariam ire detrectavit omnium religiosorum moerore qui illius vires exhaustas esse penitus non ignorabant. Unde tandem debilitatis et infirmitatis ponderi succumbere coactus est. Illum jamjam moriturum invisit illustrissimus episcopus Lemovicensis (1) ut se ejus precibus commendaret. Obiit die 17ª augusti anni 1691 ; vestesque ejus in feretro sunt decerptae a populo qui eum publice sanctum appellavit. Nec sine Dei optimi maximi speciali providentia factum existimo illum sanctum virum paucis diebus ante festum sancti Bernardi cujus orationem panygericam in ecclesia RR. PP. Fuliensium erat pronunciaturus, ex hac vita migrasse. Aequum quippe videbatur ut quem in melliflua pietate

(1) Louis de Lascaris d'Urfé (1676-1695).

et summa devotione fuerat imitatus, hunc in mortis tempore sequeretur. Sepultus fuit in capitulo claustri quod sui prioratus tempore politis lapidibus stratum fuit perpulcre. Si ergo ejus praeclare facta coeteri taceant, lapides claustri concinne strati clamabunt usque in fines saeculorum. Clamabunt et deauratae altarium nostrorum figurae et tabulata. Concedat nobis Deus optimus maximus ut tam sancti viri meritis et precibus, in sempiterna beatitudine illi in aeternum conjungamur. Amen.

32. Anno Domini 1689, circa festa paschalia, obiit venerabilis et plurima laude dignus R. P. fr. Michael Bonardeau e Sancto Germano (1) in dioecesi Lemovicensi oriundus et hujusce conventus professus ab anno 1642; in quo se per totum vitae curriculum omnium virtutum exemplar absolutum exhibuit. Fuit enim regularis observantiae rigidissimus observator, divini verbi fere continuus ac fervidus praeco; cui corporis domitor assiduus, chori et orationis perpetuus amicus, salutis animarum cupidissimus, pro quibus se plurimis subjecit laboribus et aerumnis; Beatae Mariae Virginis psaltes egregius, cujus Rosarii sodalitatem in quamplurimis parrochiis instituit et restauravit; a dignitatibus et praelaturis religionis ita alienus, ut prioris et supprioris officia in hoc conventu nonnisi sub formali praecepto obedientiae coactus acceptaverit. Circa finem sui prioratus, anno nempe 1680, introducta fuit laudabilis consuetudo singulis diebus dominicis et festivis Rosarii partem, addito brevi meditationis argumento e suggestu concionatoris, recitandi, cujus author fuit R. P. fr. Antoninus Massoulié (2), provincialis tunc provinciae nostrae Tholozanae, qui hunc ritum in tota sua provincia induxit pluribus de causis, sed praesertim pro petenda haereticorum conversione. Nec tunc fefellit eventus; vix enim tres aut quatuor anni elapsi sunt ab hac saluberrima institutione quod, agente Deipara sanctissima, quae sola cunctas hereses in universo mundo interemit, calvinianae haereseos in toto Galliae regno et etiam alibi dissipata sunt fundamenta, omnia nempe haereticorum templa eversa, fugati ac proscripti nefarii haereseos doctores ac ministri, caeterique haeretici publice suam haeresim abjurare coacti, post duplicem quam de eorum exercitibus reportavit victoriam dominus de Sancto Rufo, dux regii exercitus, primam quidem in Delphinatu, secundam vero in Vivariensi provincia, cujus rei nos oculati testes sumus. Sunt et alia plurima bona quae nobis venerunt pariter cum illa assidua et publica sanctissimi Rosarii recitatione. Taceo communia toti ecclesiae, ordini nostro et toti provinciae Tholozanae, ubi

(1) Saint-Germain-les-Belles (Haute-Vienne).
(2) Quétif et Echard, *Script. ord. Praedic.*, II, 769, 827.

haec devotio magis viguit, ut ad particularia descendam, quae Deus optimus maximus et sanctissima Deipara virgo conventui Lemovicensi per istam piissimam Rosarii recitandi consuetudinem contulerunt. Imprimis enim, quamvis semper, attamen ab illo maxime tempore floruit conventus iste per observantiam regularem et pietatem singularem, ita ut religiosi hujusce conventus in tota hac urbe et dioecesi sint etiam nunc bonus odor Jesu Christi. Floruit insuper et floret modo sodalitas Sanctissimi Rosarii in tantum, ut optimates hujus urbis, tam clerici quam saeculares, summo ducant honori in illa adscribi et officio aliquo fungi. Mirabilis est et superioribus retro saeculis nunquam visa tanta magnificentia in celebratione festi Sanctissimi Rosarii, nusquam tantus ornatus in templo nostro visus, nusquam audita tanta simphonia in choro, nusquam tanta assiduitas confratrum in processionibus, nusquam tantus numerus fidelium utriusque sexus aggregari volentium in Sanctissimi Rosarii confraternitate; denique a primaeva conventus istius Lemovicensis fundatione, nihil tale factum accepimus quale nunc cernimus per Sanctissimi Rosarii devotionem. Sed quia vulgo bona temporalia adjiciuntur spiritualibus, omnem prorsus superat admirationem quod conventus iste qui semper modicus et pauper extitit, etiam tempore quo saeculares abundabant opibus et divitiis, nunc tempore belli, inopiae extremae et sterilitatis universalis in toto fere Galliae regno, in quo maxima pars populi fame jam periit, et quotidie perit, attamen tam misero tempore claustrum nostrum cum capitulo concinne politis lapidibus stratum fuit; quod per quinque retro saecula fieri nequiverat. Capella Sanctissimi Rosarii magnificentissime pictis tabellis cum quadratis et egregiis cancellis decorata fuit. Figurae et imagines ligneae majoris altaris Rosarii et Sancti Hyacinthi cum tabulati parte perpulcre sunt deauratae; sacristia nostra pretiosis et pluribus ornamentis aucta et decorata; domus prioratus nostri Beynacensis a fundamentis erecta et ad instar conventus magnifice edificata; multa alia bona huic conventui collata sine dubio per Rosarii devotionem praetereo. Hoc unum addam sanctissimam virginem Deiparam nostris hisce temporibus suum beato Alano de Rupe (1) factum promissum adimplevisse, cui olim dixit quod quandiu Rosarium in ordine fratrum Praedicatorum floreret, tandiu ipse ordo per pietatem, doctrinam, observantiam regularem...... suorum religiosorum maxime floreret, quod nunc ...... nostri vident, tangunt et experiuntur. Utinam...... posteri qui haec memorialia futuris legent temporibus...... verborum sanctissimae Virginis Deiparae in nobis adimpletorum totis viribus tam

(1) Quétif et Echard, *Script. ord. Praed.*, I, 849.

salubrem Rosarii devotionem studeant ampliare, nec unquam, quod Deus optimus maximus avertet, ab ejus publica et assidua recitatione jam introducta abstineant. Amen.

Haec in gratiam R^di^ P. fr. Michaelis Bonardeau adjeci, quia prior erat conventus et rector sodalitatis Rosarii, quando laudabilis consuetudo illud publice recitandi fuit introducta, quique postea electus est in primum parrochum et curatum nostri prioratus Beinacensis, quem cum per aliquot annos sanctissime et religiossime gubernasset, obdormivit in Domino; sepultusque fuit in capitulo conventus cum suis fratribus. Plura sunt ejus praeclare gesta quae non retuli, quia hic devotus pater humilitatis velo opera sua bona tegere imprimis curavit.

33. Anno Domini 1692, obiit in vicariatu Nostrae Dominae Mongerensis conventus Bitterensis (1) R. P. Fr. Antonius Lagrave hujusce dioecesis et Lemovicensis conventus alumnus, qui juxta divi Hieronimi consilium per calcatum aliquo modo patrem perrexit constanti et invicto animo in ordinem nostrum, in quo per viginti duos annos religiose conversatus est. Fuit enim admodum officiosus et charitativus, zeloque incensus pro haereticorum conversione in eorum missionibus plurimum laboravit, ac tandem ex zelo nimio justitiae extremum suum contraxit morbum ; ex quo vita functus, in coelum migrasse credimus.

34. Anno Domini 1693, die 23^a^ februarii, obiit venerabilis P. frater Dominicus Froment in hac civitate Lemovica natus anno 1612, hujus vero conventus professus ab anno 1633. Hic fuit magna prudentia praeditus, experientia multa doctus, et in dandis consiliis sapientiae laude florens. Fuit etiam rigidus vitiorum censor, pravorum mastix *(sic)*, ac vitae regularis et chori perpetuus amicus. Dono discretionis spirituum a Deo optimo maximo specialiter donatus et insignitus, plurimos utriusque sexus fideles ad perfectionis semitam longo annorum curriculo et usque ad decrepitam aetatem segniter et sedulo deduxit. De isto conventu Lemovicensi optime meritus, cui multa bona sagacitate sua tam in libris quam in ecclesiae et sacristiae ornamentis procuravit, humilitatis studiosus, multa virtutum opera ejus velo nobis obtexit; mansuetudinis ac patientiae Christi Domini sedulus sectator, ludibria multa et querimonias de se factas, graves etiam et diuturnas aegritudines patienter sustinuit; et quamvis doloribus multis vexaretur, quotidie tamen fere choro intererat ac sacrosanctum missae sacrificium peragebat. Plura nobis scripta reliquit suae pietatis non obscura indicia, quibus ad

(1) Douais, *Le pèlerinage de Notre-Dame-de-Pitié de Mougères (Hérault). Son histoire et son culte.*

perfectionis consequendum apicem iter planum, solidum ac rectum demonstrat. Tanta fuit ejus opinio sanctitatis, ut fideles post obitum ejus vestium particulas in reliquias sibi assumere contenderint. Sepultus fuit in capitulo claustri, ubi beatam expectat resurrectionem. Amen.

XVII. — [Bulla Pauli quinti pro reformatione conventus Lemovicensis].

[Huic operi] finem imponam referendo bullam Pauli quinti [Maximi] Pontificis directam ad officialem Lemovicensem, anno Domini [1606], pro reformatione conventus Lemovicensis. Iste autem officialis erat dominus Petrus Boyol, in juribus licentiatus et canonicus ecclesiae cathedralis Sancti Stephani, cujus ossa in hujusce conventus ecclesia condita jacent. Ex hac bulla conventus Lemovicensis praestantia dignoscitur.

Ex bulla Pauli quinti directa ad officialem Lemovicensem anno Domini 1606.

Paulus episcopus servus servorum Dei dilecto filio officiali Lemovicensi salutem et apostolicam benedictionem. Romanum decet pontificem pia semper animadversione esse sollicitum ut per ejus communionis opem et auspicium pia et regularia loca quaelibet, praesertim quae sanctorum Dei pietate singulari, fundatione et antiquitate insignia esse dicuntur, ac personae iis in locis sub suavi religionis jugo et regularis sui fundatoris observantiae institutis, altissimo jugiter famulantes in suis necessitatibus congruum suscipiant subsidium, ut exinde personae ipsae sublevatae majores in vinea Domini, Deo dante, valeant educere fructus ac fidei ortodoxae hostium et haereticorum partium in quibus degunt continuos et temerarios conatus et versutias refellere. Dudum siquidem omnes etc. (*Et post aliquas lineas :*) Et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum prioris et fratrum domus Sancti Dominici Lemovicensis ordinis Praedicatorum petitio continebat, domus praedicta a dicti Praedicatorum ordinis primordio ab ipsomet sancto Dominico fundata vel ejus jussu priscis temporibus in regularis disciplinae observantia, litterarum scientia tantum floruerit ut nulli alteri regulari ejusdem Praedicatorum ordinis domui cesserit et ex ejus fratribus duo cardinalatus (1), unusque archiepis-

(1) En regard à la marge : *Tres lectores Lemovicenses fuere cardinales.*

copali et quinque vel sex episcopali dignitatibus et honoribus decorati et plurium summorum pontificum poenitentiarii fuerint, aliique numero quadraginta ad infidelium partes pro divini verbi praedicatione transmissi pro fide catholica vitam cum sanguine fortiter profuderint (1) atque in ea centum et viginti fratres alias extiterint, et etiam nunc inter insignes totius Galliae regulares domos non infimum locum obtinere censeatur. A centum vero et viginti circiter annis civitate ipsa Lemovicensi ab Anglis qui illam invaserant depredata, domus destructa illiusque scripturae deperditae fuerint, ac ea postea restaurata denuo ab istorum temporum haereticis quibus magna in parte dicta civitas illiusque circumvicina loca labefacta reperiuntur funditus eversa et solo adaequata, ac deinde per dilectum filium nobilem virum modernum comitem Descars aliquantisper restituta fuerit, et superioribus annis venerabilis frater noster episcopus Lemovicensis et dilecti filii dictae civitatis incolae, quibus praemissa maximo eorum cum dolore satis superque innotescant, pristinum dictae domus splendorem secum ipsi revolventes ac illius jacturam deplorantes, foelicis recordacionis Clementem Papam VIII predecessorem nostrum et etiam tunc existentem dicti ordinis Praedicatorum Magistrum precibus et litteris sollicitaverint, ut in praedicta domo regularem observantiam a qua illius fratres propter hujusmodi ruinas et temporum calamitates defecerant restitui et litterarum studia quibus potissimum ad haereticorum errores refellendos opus est institui curarent, dictusque generalis Magister nonnullos dicti ordinis Praedicatorum fratres, etc., qui in ea regularis vitae normam et studia restituerent, et transmiserit, etc. Datum Romae, apud Sanctum Petrum anno incarnationis Domini 1606..... maii, pontificatus nostri anno secundo. Sigillatum in plumbo.

(1) En regard à la marge : *Martirum horum nullam mentionem habemus.*

III

FUNDATIONES MISSARUM CONVENTUS LEMOVICENSIS FRATRUM PRAEDICATORUM

1. Una missa solemnis quolibet anno pro domina de Petrabuffaria (1), pro qua legavit in testamento suo die 12 martii 1304 viginti solidos sive unam libram census annui, quae tamen a triginta et duobus annis soluta non fuit, nec in posterum solvenda creditur, licet servitium factum sit.

2. Una missa solemnis quolibet anno cum tot missis privatis quot sacerdotes interfuerint huic missae solemni, pro Guodefrido de Turribus (2), pro quabus missis tum solemni[bu]s tum privatis relicuit (*sic*) tres libras census annui in suo testamento, feria quinta ante festum Annunciationis ann. 1334. Item, idem legavit unam libram census annui; praeterea legavit quatuor libras census perpetui pro una missa singulis diebus dicenda, ita quod pro qualibet missa non reliquerit tres denarios. Diu litigatum est cum haeredibus; expensae tamen litis satis modicae sunt, nec ascendunt ad summam triginta vel quadraginta librarum, si numerentur expensae ab ipsis solutae.

3. Duae missae solemnes cum absolutione generali singulis annis pro domino Ronulpho de Quadris (3), pro quabus legavit octo libras census annui in suo testamento.

4. Una missa solemnis cum absolutione generali, feria 6ª cujuslibet hebdomadae. Item, absolutio generalis singulis diebus post completorium pro domino Guodefrido ejusdem familiae de Quadris, qui legavit triginta quinque libras census annui pro praefatis, ut creditur, missis et absolutionibus.

5. Item, missa solemnis singulis diebus totius anni cum absolutione generali, necnon cum vesperis defunctorum singulis septimanis, pro domino Carolo de Quadris eiusdem familiae; pro quabus missis et vesperis legavit centum libras census annui in suo testamento 20 martii 1625; diu litigatum est cum haeredibus, et tandem conventione facta cum domino de Quadris ad minus sexcentas libras

(1) Pierrebuffière (Haute-Vienne).
(2) Las Tours (Haute-Vienne).
(3) Les Cars (Haute-Vienne).

factarum expensarum amisimus, non adhuc computata diminutione redditumm qui a pluribus annis debebantur, quae ad summam sexcentarum adhuc librarum ascendit; difficit semper erit istius fundationis solutio propter potentiam haeredum; et isto qui modo existit semel defuncto, majores lites jure timentur.

6. Una missa solemnis quolibet anno pro Jacobo Cheisne, pro qua legavit unam libram census annui in suo testamento 30 junii 1529.

7. Una missa solemnis quolibet anno et una missa privata singulis primis diebus domini[ci]s cuiuslibet mensis pro Petro Foresta; pro quabus reliquit tres libras census annui in suo testamento 28 januarii 1562.

8. Una missa solemnis quolibet anno pro Petro Gervais, pro qua legavit quinque libras census annui in suo testamento 18 augusti 1569.

9. Duae missae privatae singulis septimanis, pro quabuslibet Jacobus Rogier et Anna Benoist legaverunt duos solidos census annui in eorum testamento 31 julii 1613.

10. Duae missae solemnes quolibet anno pro Jacobo Rogier et Catharina Dubois; pro quabus legaverunt quinque libras census annui.

11. Duae missae privatae singulis septimanis pro Joanne Ruaud, pro quabus legavit viginti quinque libras census annui in suo testamento 29 decemb. 1620. Haeredes modo pauperiores facti vix solvere possunt, et specialiter duae domicillae quae partem haereditatis obtinebant ut creditoribus satisfacerent bona vendiderunt; fundationem quantum ad ipsas obtinebant extinxerunt, solutis conventui 250 ll., quas conventus nondum collocare potuit, sed acceptare coactus est, ne ad mendicitatem praefatae filiae deducerentur; et contra alium haeredem actu litem movimus, imo proposuimus et annuimus ut non solveret, modo ab onere fundationis essemus liberi et alius satisfaceret.

12. Duodecim missae solemnes cum vigiliis defunctorum et absolutione generali pro Petro Boyol; pro quabus legavit triginta libras census annui in suo testamento 4 julii 1623.

13. Una missa solemnis quolibet anno pro Petro Merigaud; pro qua legavit in suo testamento 26 septem. 1626, quadraginta libras semel solvendas, sive duas libras census annui, quae summa soluta est; nec tamen constat in quo fuerit expensa.

14. Una missa solemnis quolibet anno cum vigiliis defunctorum pro Martiali Pabot, et pro altero Martiali Pabot alia missa solemnis quolibet anno; pro quabus solvuntur quatuor librae et decem

solidi census annui; prima missa fundata est in testamento 31 martii 1627, secunda vero circiter 1665.

15. Tres missae privatae singulis annis pro Joanne Malpiena; pro quabus legavit unam libram census annui in suo testamento 28 decem. 1627. Una missa privata qualibet feria 2ª totius anni pro Guilhelmo Labiche; pro qua legavit duodecim libras census annui in suo testamento 30 januarii.

16. Viginti missae privatae quolibet anno pro Petro Bourbon; pro quabus legavit quinque libras census annui in suo testamento 11 novemb. 1628.

17. Duae missae privatae qualibet septimana pro Petro Dubois; pro quabus legavit sexcentas libras in suo testamento 27 martii 1631; haec summa soluta est, nec tamen de ejus collocatione constat.

18. Centum quinque missae singulis annis et septuaginta octo missae solemnes singulis etiam annis pro Joanne de la Breuille et Anna Gai; pro quabus reliquerunt in suo testamento 25 julii 1632 aliquod fundum ex quo proveniunt viginti quinque librae census annui.

19. Una missa privata qualibet septimana pro Joanne Ruaud; pro qua legavit viginti quinque libras census annui in suo testamento 30 novemb. 1639; magnis curis et iteratis postulationibus, necnon nisi multis acceptis injuriis et contumeliis pluribus affecti scindici solutionem hucusque obtinere potuerunt; jamque a pluribus annis non fuit soluta nec solvenda creditur nisi cogente sententia judicis, quam tamen litem incohare metuimus propter potentiam haeredis qui est regiarum causarum procurator in hac Lemovicensi curia.

20. Una missa solemnis quolibet anno pro Guilelmo Nicot; pro qua legavit centum libras in suo testamento 4 julii 1640, quae insumptae sunt in constructione dormitorii.

21. Una missa solemnis quolibet anno pro Francisco de Titregas; pro qua legavit 3 libras census annui in suo testamento 5 januarii 1641.

22. Una missa solemnis quolibet anno pro Petro Celiere; pro qua legavit duas libras census annui in suo testamento 20 septemb. 1646.

23. Quadraginta quinque missae privatae quolibet anno pro Petro Combrouze; pro quabus legavit septemdecim libras census annui in suo testamento 1ª decemb. 1650.

24. Quatuor missae privatae quolibet anno pro Petro Hardi; pro quabus dedit in suo testamento 28 augus. 16.. parvulum fundum, ex quo proveniunt viginti solidi aut circiter census annui.

25. Una missa privata qualibet septimana pro Petro Crouchaud;

pro qua legavit quindecim libras census annui in suo testamento 21 octob. 1655.

26. Una missa solemnis quolibet anno pro Sincone (*sic*) Auxiliat ; pro qua legavit duas libras census annui in suo testamento 20 martii 1656.

27. Sex missae privatae pro defunctis quolibet anno pro Josepho Chastaignac; pro quabus dedit quingentas libras semel solvendas in suo testamento 6 aprilis 1656; quae summa consumpta fuit eo quod religiosi non adverterint praefatum legatum fuisse cum onere fundationis, quod tamen onus ideo solum adjunctum fuit ut tolleretur haeredibus occasio litigandi pro praefato legato non solvendo, ut solent plerique litigando se eximere a solutione eorum quae aliquis legavit religioni quam vult profiteri.

28. Sex missae privatae quolibet anno pro Leonardo Villeneufve ; pro quabus legavit tres libras census annui in suo testamento 28 januarii 1662.

29. Una missa solemnis quolibet anno pro Laurentio Bouverie, quam dotavit quinque libris census annui 26 maii 1666.

30. Duae missae privatae et una solemnis cum absolutione generali quolibet anno pro Joanne Besse; pro quabus legavit tres libras census annui in suo testamento 31 decemb. 1668.

31 (1). Una missa solemnis quolibet anno pro Josepho Rabbi; pro qua legavit census annui triginta solidos in suo testamento 18 decemb. 1668; non solvitur, nec modo est aliqua spes solutionis, quia non sunt bona sufficientia ad solutionem.

32. Duae missae privatae singulis mensibus pro Francisco Grabois ; pro quabus legavit quindecim libras census annui in suo testamento 27 octob. 1670. Item, pro eodem una missa solemnis quolibet anno, pro qua dedit quatuor libras et decem solidos census annui; haec summa totalis unde praefati redditus proveniunt semel fuit soluta conventui; et diligentissima facta inquisitione ut securius collocaretur, tradita fuit duobus fratribus qui hucusque exactissime redditus solverunt; modo tandem agnovimus quod insolubiles prorsus sunt propter plura debita anteriora ab ipsis contracta; unde facta ipsorum bonorum distributione quam creditores prosequi volunt, ut certius accepimus, summam integram cum suis reddit[ib]us conventus amittet.

33. Psalmus *De profundis* et prosa *Stabat* singulis feriis sextiis, pro quibus conventus accepit sexaginta libras ; praefata summa consumpta fuit, nec ullus ex ea proventus superest.

34. Joannes Goudin scindicus noster secularis (qui scindici

(1) Ms. : 32, et dans la suite 33 au lieu de 32, 34 au lieu de 33, etc.

propter tale officium multis potiuntur privilegiis in tota juridictione parlamenti Burdigalensis in qua degimus, ut inter alia quod ab omni tutela eximentur, propter quod plures sunt praefati scindicatus canditati, qui tamen nullum conferunt fructum conventui), bis mille libras cum ea conditione ut haeres integram summam semel, vel centum libras annui redditus solveret conventui, non simpliciter onerans patres nostros, ut fieri solet, sed rogans ut singulis diebus una pro ipso missa dicatur; quae summa ab haeredibus semel soluta tradita fuit domino de Quadris, cum quo, ut supra diximus num. 5, diu litigatum est; et quo defuncto amissa penitus creditur, eo quod commune sit apud praefatos nobiles in suis testamentis et nuptiarum contractibus omnia bona sustituere, sicque haeredes posteriores, ut a solutione debitorum suorum immediatorum praedecessorum se liberent, nusquam se illorum haeredes profitentur, sed ipsorum bona per sustitutionem vel transactionem sibi obvenisse dicunt, et tandem ad minus litigandum erit; et propter illorum potentiam et autoritatem vix lites finiuntur necnon nisi multis factis expensis quae nusquam redduntur.

35. Hae sunt fundationes quarum memoria habebatur et redditus possidebantur tempore reparationis conventus qui olim magnificentissimus utpote in quo degeba[n]t octoginta fratres bis eversus et destructus fuit, necnon bonis et reddituum titulis spoliatus, in quo catalogo repositae sunt aliae quae deinceps factae sunt. Praeter istas autem nuper aliae repe[r]tae sunt, quarum nulla prorsus extabat apud nostros patres memoria, nec illarum ullo modo possidentur [redditus]; quod enim de viridario quodam dicitur ignoratur prorsus ubi situm esset, nisi forte sit quidam locus publicus ante januam ecclesiae et conventus, qui ad nostrum fundum pertinet; sed de [eo] nullus proventus obvenit conventui, nisi quod tres domus in extremitate constructae aliquid solvunt ad profitendum quod in solo conventus sunt aedificatae; praeterea non extat campanile de quo fit mentio, neque de vitrea aliquid constat; illa siquidem quae modo existit tota fere muro clausa est; et similiter cappella Sancti Vincentii quae modo existit, adeo parva est ut nullo modo sit illa de qua sit sermo, et adeo ecclesiam nostram deformat ut jamdiu conclusum fuerit a patribus nostris ut muro clauderetur; alia denique bona quorum conventus haeres e[s]t, relictas (*sic*) sicut et vasa argentea et paramenta, a nobis non habentur, praefata[s]que fundatione[s] legendo annotavimus quod quaedam annotantur quae semel tantum erant faciendae et non in perpetuum; aliae, ut nobis videtur, erant titulo gratitudinis, non vero rigorosae obligationis; sunt quaedam pro religiosis qui quaedam bona contulerunt conventui non ante sed post proffessionem, ut constat specialiter de

quibusdam inquisitoribus. Notavimus etiam quod plura anniversaria eodem die celebrabantur sub una missa solemni, et quod specialiter alicubi dicitur quod conventus se obligavit ad unam orationem in missa, unde concludimus quod illi etiam qui praefatas fundationes constituebant exigebant solum ut pro ipsis offeretur sacrificium una cum aliis pro quibus offerebatur, non curando utrum una vel plures missae dicerentur; tandem in quantum observare potuimus, hoc manuscriptum erat potius veluti kalendarium a cantore compositum, in quo annotabat tam omnes fundationes perpetuas quam semel faciendas, et omnes denique pro quibus orare debebant religiosi nostri; sed, ut de his alii judicent, subjicimus praefatas fundationes ut habentur in praefato vetustissimo kalendario litteris gotticis conscripto.

Numerus missarum quae quotidie a fidelibus postulantur ultra praefatas fundationes jam recensitas ascendit ad viginti circiter missas pro qualibet die, pro quabus offerunt modo octo, modo septem, modo quinque solidos, secundum quod ipsis visum fuerit et sine scandalo recusari non possunt, neque etiam peti stipendium ab episcopo statutum, quod est octo solidorum. Hoc experientia comprobatum est sub reverendo Patre Chastaignac priore tunc existente; publica siquidem voce dictum est nos prae nimiis divitiis quibus abundamus nolle amplius proximorum saluti invigilare, et thesaurizandi cupiditate gabellam supra missas imposuisse; cumque soli essemus inter omnes religiosos qui missas nobis oblatas recusaremus et simul pro nobis oblatis taxatum stipendium postularemus, ad alios se converterunt, sicque intra breve tempus conventus ad eam paupertatem redactus est, ut vix quindecim aut viginti fratres nutrire posset, multis etiam contractis debiles adeoque omnibus odibiles facti ut vix coram secularibus apparere auderemus.

Ad hoc sine dubio evitandum scandalum successores oblatas sibi missas acceperunt, accepto stipendio sponte a fidelibus oblato, scriptis missis ab ipsis postulatis. Numerus vero earum quae dicendae restant ascendit ad quinque millia septi[n]gentas et viginti tres, et quarum stipendio fratres consueti et necessarii in hoc conventu nutriuntur; siquidem omnes redditus conventus ultra fundationes supra recensitas ascendunt ad summam usque ad septi[n]gentas vel octi[n]gentas libras, et pro expensis unius anni requiruntur circiter quinque millia librarum; unde redditus a sacristia proveniens est plus quam bis mille librarum.

Requiruntur in hoc conventu quatuor lectores tum theologiae, tum philosophiae tam pro secularibus quam pro religiosis, qui actu existunt in conventu. Est enim haec urbs caput totius pro-

vinciae Lemovicensis, neque in ea est alius theologiae cursus institutus. Unde quidam falso proposuerunt, ut audivimus, nullum in ista provincia reperiri theologiae cursum, cum a tempore reparationis conventus semper seculares apud nos theologiam audierint. Requiruntur insuper praedicatores hoc anno quatuor, [ut] mittantur [ad] conciones habendas per adventum et quadragesimam; et hoc notandum, quod praedicatorum stipendia in ista provincia tota fere consistunt in missis quae a fidelibus praedicatoribus offeruntur; quae tamen inter summam a sacristia provenientem non computantur. Et dominus Episcopus alias adhuc postulavit, si habuissemus. Requiruntur praeterea officiales ordinarii cujuslibet conventus et sacerdotes, qui intersint choro et saecularium confessiones audiant; sex ad minus confessores in ecclesia requiruntur; sicque circiter sexdecim sacerdotes, imo viginti essent necessarii ad proximo inserviendum et divinum officium celebrandum, et cum pauci sacerdotes intersint choro, et confessiones, lectiones et praedicationes..., necessarium fuit instituere novitiatum in isto conventu. Igitur septemdecim sacerdotes, quorum duo missam celebrare non possunt, undecim novitii et tres fratres conversi actu communitatem constituunt. Postulavimus praeterea praedicatorem ordinarium et unum fratrem conversum. Sicque ad minus necessarii sunt triginta tres religiosi in isto conventu; et ut possemus subvenire dominis curatis qui quotidie subsidium nostrum requirunt, necessarii adhuc forent ad minus tres vel quatuor sacerdotes. Cum tamen redditus stabiles conventus una cum fundationibus non efficiant summam bis mille librarum, caeteraque omnia proveniant ex fidelium liberalitate, qui in hac provincia nihil largiuntur nisi pro missarum celebratione, unum solum petimus, ut nobis licitum sit missas nobis sponte oblatas accipere applicando pro singulis qui eas offerunt, et nihil exigendo ab ipsis, sed praecise recipiendo quae sponte offerunt, cum de facto non solum sint stipendia missarum, sed laborum omnium quos in eorum salute procuranda toleramus; neque enim ex illorum numero sumus qui novas quotidie missas emendica[n]t, quamvis plures habeant etiam fundatas quam dicere possint; sic tuta consciencia poterimus pro ipsorum salute laborare.

Sequuntur fundationes nuper repertae in vetustissimo kalendario nobis hucusque ignotae.

Januarius

IIII. non. Anniversarium domini Joannis de Chirone presbiteri et parentum suorum, a quo conventus habuit quadraginta scuta

auri pro aedificio majoris vitreae; et conventus obligavit se ad dicendum unam missam singulis hebdomadis feria 2 in capella sancti Petri martiris.

III. non. Anniversarium Catharinae de Ponte et parentum suorum, quae legavit viridarium situm ante conventum; et conventus obligavit se tali die ad faciendum dictum anniversarium.

Fundationes missarum conventus Lemoricensis ordinis fratrum Predicatorum.

1304. Una missa privata singulis diebus, et una solemnis quolibet anno cum tot privatis quot sacerdotes huic solemni interfuerint, altera solemnis quolibet etiam anno; pro quabus omnibus solvuntur tantum annuatim octo librae.

1625. Una missa solemnis quolibet die cum absolutione generali; item, vespere defunctorum singulis hebdomadis; pro qua fundatione legatae sunt tantum annuatim centum librae.

1670. Una missa privata singulis diebus, pro qua solvuntur centum librae annuatim; antiquitus una missa solemnis qualibet hebdomada, pro qua solvuntur annuatim triginta quinque librae.

1613. Duae missae privatae qualibet hebdomada, pro quabus solvuntur annuatim decem librae et octo solidi.

1620. Duae missae privatae qualibet hebdomada, pro quabus annuatim solvuntur viginti quinque librae.

1631. Duae missae privatae qualibet hebdomada, pro quabus semel solutae sunt sexcenta librae; de quarum impensa aut collocatione non constat.

1630. Una missa privata qualibet hebdomada, pro qua legatae sunt annuatim viginti librae.

1655. Una missa privata qualibet hebdomada, pro qua solvuntur annuatim quindecim librae.

16... Una missa privata qualibet hebdomada, pro qua solvuntur annuatim duodecim librae.

1623. Una missa solemnis quolibet mense cum vigiliis defunctorum, pro qua solvuntur annuatim triginta librae.

1670. Duae missae privatae quolibet mense et una solemnis quolibet anno, pro quabus annuatim solvuntur circiter viginti librae.

1562. Una missa privata quolibet mense et una solemnis quolibet anno, pro quabus solvuntur annuatim tres librae.

1304. Una missa solemnis quolibet anno, pro qua legata est annuatim una libra.

Antiquitus duae missae solemnes cum absolutione generali, pro quabus legatae sunt annuatim octo librae.

1529. Una missa solemnis quolibet anno, pro qua legatae sunt annuatim quinque librae.

1529. Una missa solemnis quolibet anno, pro qua annuatim legata est una libra.

1569. Duae missae solemnes quolibet anno, pro quabus legatae sunt annuatim quinque librae.

1626. Una missa solemnis quolibet anno; pro qua solutae sunt semel quadraginta librae; de quarum expensa aut collocatione non constat.

1627. Una missa solemnis quolibet anno cum vigiliis defunctorum; item, altera missa solemnis qualibet etiam anno; pro quabus solvuntur annuatim quatuor librae et decem solidi.

1627. Tres missae privatae singulis annis, pro quabus solvuntur annuatim viginti solidi.

1628. Viginti missae privatae quolibet anno, pro quabus solvuntur annuatim quinque librae.

1632. Centum quinque missae privatae et suptuaginta octo solemnes, pro quabus solvuntur annuatim circiter viginti quinque librae.

1640. Una missa solemnis quolibet anno, pro qua semel solutae sunt centum librae in constructione dormitorii consumptae.

1641. Una missa solemnis quolibet anno, pro qua legatae sunt annuatim tres librae.

1646. Una missa solemnis quolibet anno, pro qua solvuntur annuatim duae librae.

1652. Quadraginta quinque missae privatae quolibet anno, pro quabus solvuntur annuatim septemdecim librae.

16... Quatuor missae privatae, pro quabus dantur annuatim viginti quinque solidi.

1666. Duae missae solemnes quolibet anno; pro quabus legatae sunt annuatim duae librae.

1656. Sex missae privatae quolibet anno pro assecuratione alicujus legati fundatae.

1662. Sex missae privatae quolibet anno, pro quabus legatae sunt annuatim tres librae.

1666. Una missa solemnis quolibet anno, pro qua solvuntur annuatim quinque librae.

1668. Duae missae privatae et una solemnis cum absolutione generali quolibet anno, pro quabus legatae sunt annuatin tres librae.

Psalmus *De profundis* et prosa *Stabat* singulis feriis sextis; pro quibus solutae sunt semel sexaginta librae.

Praeter istas fundationes sunt et aliae antiquae septingentarum

octoginta quinque missarum privatarum et quadraginta quinque solemnium, quolibet anno, notatae in veteri codice e pergameno post iteratam conventus destructionem, quibus non fuit satisfactum usque ad presens tempus, tum quia ignotae erant, tum quia reditus annuus aut collocatio nullo modo apparent nisi in quatuor aut quinque casibus.

F. Joannes Crosier, supprior.
F. Martinlies probablement Martinetus (*sic*) Nicolas, vicarius.
F. Joannes Lagoudye, scindicus.

Les Archives de la Haute-Vienne, fonds des Jacobins, contiennent des pièces relatives à quelques fondations :

1° Rentes et fondations, n° prov. 3836.

2° Fondations d'anniversaires par Isabelle de Ventadour (1277), n° prov. 4406.

3° Rente pour fondation d'anniversaire par Bernard de la Porcherie (1284), n° prov. 5304.

4° Legs d'une rente à Feytiat pour un anniversaire (1340), n° prov. 4827.

5° Fondation d'anniversaire par Mathieu Botin (1404), n° prov. 4406.

6° Legs fait par Guillaume Miolis pour deux anniversaires (1417), n° prov. 4895.

7° Fondation de Gautier de Pérusse (1422), n° prov. 4157.

8° Fondations d'anniversaires. Pièces de procès (xive-xviiie siècles), n° prov. 3854.

CORRECTIONS

Page 23, note 2, au lieu de *p. 264*, lisez *p. 1*.
Page 68, ligne 13, au lieu de *Benediti XXIII*^{i}, lisez *Benedicti XIII*^{i}.

TABLE DES NOMS

C

H

I

J

L

M

TABLE DES MATIÈRES

Limoges, imp. Vᵉ H. Ducourtieux, rue des Arènes, 7.

